



Catalogus dissert.


I. J. Semler.

1. Obf. Super 2 Timoth. II. et III.
2. Sectionis II Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de prostantia theof. acaemica pro sic dicta biblica.
5. de infelicitate hominum praesenti.
6. de Christo ad Arbaram epistola.
7. de imagine divina in humana ipsi natura.
8. de mysticarum interpretationum studio.
9. Indiquitatum Hermeneuticarum ex Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizatos fuisse, de quibus agitur Act. XIX. 5
12. de propagata per Nonifacium inter Germanos ref. christi.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N.T. observando.
14. In Math. I. 17.
15. de caecunda mellesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse vultu ratione verum Deum et verum hominem. dist. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex evangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recolen- da historia deservat ad inferos.
20. spiritum s. recte deservit personam.
21. de Despodorus et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter sapientes et sapientissimos.

II. J. A. Neiffelt.

23. singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discernenda propria et propria dictione.
25. de Catenis patrum graecorum in nouum.
26. in 1 Cor. II. 20 et 27.
27. interp. cantuaris anglica Luc. II. 14
28. de Christo homine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis Christi confirmare sequi maioribus legitatione sinatica.
30. ad Heb. II. 11.
31. in 2 Cor. II. 17.
32. ad Num. xxviii. 17.
33. in Job. xii. 20-23.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 7 Thesal. II. 1-12.
36. In Job. xvi. 1-17.
37. In Job. xii. 13-23.
38. (plurim in No ligni unij) N. 31. - 74 p. 78 Quae est 2 Cor. II. 6.

7  
COMMENTATIO THEOLOGICA  
DE  
IMAGINE DIVINA IN HVMANA  
CHRISTI NATVRA



QVAM

PRAESIDE

VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

IOANNE SALOMONE SEMLER

S. S. THEOL DOCTORE ET PROFESSORE PVBL ORDINARIO  
IN HAC ALMA FRIDERICIANA CELEBERRIMO,

SEMINARII REGII THEOLOGICI DIRECTORE  
MERITISSIMO,

FAVTORE ATQVE PRAECEPTORE

AD CINERES VSQVE MAXIME VENERANDO

DIE FEBRVAR. MDCCLX.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDENDAM PROPONET

AVCTOR

CAROLVS CHRISTIANVS THIME

FIDDECHOVIO-POMERANVS, S. S. TH. C.



HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.

COMMENTARIUS THEOLOGICUS  
DE  
IMAGINE DEI IN HUMANAM  
CHRISTI NATURAM

IOHANNES SALOMON SEMMELER

ES THEOL. DOCTOR ET PROFESSOR PUBL. ORDINARIO  
IN HAC ALMA LITERARIA CELEBRISSIMO  
SEMINARIO RECTOR THEOLOGICI DIRECTOR

AVTOR ET PRAEFECTOR

CAROLVS CHRISTIANVS THIER

HAEC LITTERAE ET OFFICIA IN  
LUDWIGS-PORTAE

V I R O  
SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO,  
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO  
GODOFREDO CHRISTIANO  
ROTHE

SACRORVM PER VTRAMQVE POMERANIAM  
SVPERINTENDENTI GENERALI LONGE  
SPECTATISSIMO

THEOLOGO CELEBERRIMO

V I R O  
DE REPUBLICA ECCLESIASTICA ET LITTERARIA

MERITISSIMO  
PATRONO MAXIMO

UT EXSTET  
OBSERVANTIAE ET PIETATIS  
MONUMENTVM,

SPECIMEN HOC ACADEMICVM

EA, QVA DECET, REVERENTIA  
DEDICAT

TANTI NOMINIS

OBSERVANTISSIMVS CVLTOR  
CAROLVS CHRISTIANVS THIME.



## PROOEMIUM.



**V**t meum qualemunque laborem in hoc  
scriptionis genere consignatum aliquo  
modo duntaxat Tibi B. L. approbatum  
reddam, mitiorique de illo ferendo  
iudicio inferuiam, paucula praefanda  
esse duxi. Equidem dum illud menti  
infixum tenebam consilium, non sine specimine quodam  
ex hac Musarum sede discedendi, dumque iam de argu-  
mento consilio huic destinando cogitabam, illa Praefidis  
huius dissertationis grauissimi argumentorum designatio di-  
sputationibus se Praefide habendis destinatorum in manus  
venit, & ex his illud, quod iam typis excusum vides, elige-  
re visum est. Non est vero quod Tibi illud ipsum com-  
mendem, quod quidem se satis ipsum commendat, etiamsi  
ad veritates fidei nostrae fundamentales primi ordinis omni-  
no non pertineat, interim, quod cuius facile apparet, non ta-  
men suo commodo & vtilitate multa destitutum est. Quod  
vero ad meum spectat laborem hoc in opere positum, bene-  
uolo lectoris iudicio eum totum relinquo, dum ex hac parte

saltem vituperationem effugere videor, quod meam, quantum fieri potuit, veritati cuidam christianae consecrauerim industriam, atque dum illud, quod praestare potui, praestiti. Dignior forte euadere potuisset susceptus a me labor, si illud stadium academicum, quod ego percurrendum habui, non adeo angustis circumscriptum fuisset limitibus, vt non sine multa iactura ceteris studiis, quae meae sortis homini incumbunt, multum temporis detrahere potuerim. De ordine autem, quem ego legis instar in hac tractatione obseruandum mihi imposui, nil opus est mentionem iniicere; is enim ex indice ordinis rerum pertractatarum huic libello affixo, vnicuique satis constabit. De cetero vero, vt B. L. omne meum studium aequi bonique consulat, humanissime peto.

## S E C T I O I.

D E

HVMANA CHRISTI NATVRA  
I N G E N E R E .

## §. I.



Primarius & summus ille finis, cui satisfactorius aeternus & necessarius Dei filius e solio caelesti hunc in orbem terrarum descendit, cruenta rotius generis humani expiatione absoluitur, seu, vt cum aliis loquar, in eo consistit, vt ipse hominum peccatorum vicarius satisfactionem pro iisdem Deo praestaret actuam non solum, sed & passiuam (per Dogmat); hinc exigebat, vt Christus ea praestaret omnia, quae hominibus praestanda incumbabant, pariter atque pateretur, quaecumque homines pati oportebat. Christus vero summus ipse Deus, id est, essentia Dei, infinita & necessaria, praeditus, hunc finem, in quem iam



iam ab aeterno libere consenserat (per dogmat.), qua hanc diuinam suam naturam nunquam efficere potuisset, quae quidem horum e. gr. pari, hominum loco mori, credere, obedire &c. nullo modo capax est, ergo hic ipse finis, vt Christus humanam naturam assumeret, postulabat, quo illi consequendo par esset (per Dogmat.).

Vt eo magis intelligar, statim in dissertationis meae limine moneo, me, quod admodum notari debet, in hac tota tractatione humanam Christi naturam ex fine ipsius iam, pro scopo meo satis euictam, semper in se & sine vilo ad vnionem cum diuina eiusdem natura personalem respectu habito considerare. Ita enim omnino ab hac cum *λογω* vnione personali tantisper abstrahere licebit, quippe quam hanc ob rem nullus negare voluit. Licet itaque illa modo ens, vt dici solet, fictum habenda sit, nihil tamen contra me hinc sequi poterit: ea enim humanae Christi naturae propria perfringere mens est, quae praescriptis in se habuit, & tunc temporis praesentim dedit conspicua, vbi perpetuus vltus perfectionum diuinatum Christo homini alias concessus interceptus quasi fuit, hinc ea, quae ista personalis vnio cum *λογω*, Christo homini infert, ad rem meam humana natura ob finem sibi propositum fuisse instructum, & ad veram naturam humanam tam anima rationalis, quam corpus organicum pertineat, de vtriusque speciatim hac sectione nobis erit disputatio, ita quidem vt a nobiliori humanitatis parte incipiamus.

§. 2.

Nos nobis aliquid repraesentare seu quid percipere dicimus, quando varia rei cuiusdam in nobis exprimere valemus (per Metaphyl.). Quando vero res tanquam diuersas nobis repraesentamus, tunc eas a se inuicem distinguimus, (per eand.) & denique res a se inuicem distinguimus, quando nobis earundum sumus consci (per eandem.). Hinc quicumque semet ipsum ab aliis rebus distinguit, is sibi sui ipse est conscius; quicumque vero alias res extra se positas a se inuicem distinguit, is aliarum rerum sibi conscius est (per definition.).

§. 3.

Ens illud in homine, quod sibi alicuius conscius est, sed in repraesentationibus suis ad corpus humanum adstrictum est, animam humanam dicimus (per Psychol.) hinc, si tale ens in Christo fuerit, sequitur vt veram animam humanam habuerit. Undique  
vero

vero ex tota Christi historia ab Euangelistis enarrata quam maxime apparet, quod ipse semet ipsum ab aliis rebus, aliasque res a se inuicem distinguere potuerit, seu quod ipse sibi sui & aliarum rerum extra se positarum fuerit conscius, hinc in Christo ens fuit, quod sibi cuiusdam rei potuit esse conscius. Sed illud ens etiam in repraesentationibus suis ad corpus adstrictum fuit. id quod existit, quando repraesentationes animae motibus corporis adeo conformes sunt; itaque, si probando efficere possumus, quod illud ens sui sibi conscius in Christo in repraesentationibus suis ad corpus Christi adstrictum fuerit, tunc omnino, Christum veram animam humanam habuisse, effecimus. Hoc autem facile perficere poterit; nouimus enim, ut modo vnicum hoc adducam, ex passionis Christi historia, quod, cum flagellis corpus ipsius percuteretur, variisque cruciatibus adficeretur, ipse haec omnia sibi repraesentari & senserit; ergo ens in Christo fuit quod repraesentationibus mutationibus corpori Christi accidentibus conformes habuit, & consequenter Christus vera anima humana fuit praeditus.

Duo sunt, quae hic potissimum monenda arbitror. Primo, quod ad additamentum illud in definitione animae spectat: quod in repraesentationibus suis ad corpus humanum adstrictum est, illud, ne definitio animae Christi latior definito suo euaeret, omnino adiciendum fuit. Etenim diuinitas *εὐπορωτός*, seu *ὑψίστη*, quae cum humanitate Christi intime vnita erat (per Dogmatic.) pari modo ens in Christo dicendum est, per quod ipse sibi sui & aliarum rerum omnium fuit conscius. Ne quis itaque diuinitatem in Christo pro eiusdem anima humana habeat, quod olim multi imperite fecerunt, consultius esse dixi illud ipsum, vti alii iam fecerunt, adicere, quippe quae quidem in suis repraesentationibus ad corpus haud adstricta fuit (per Dogmatic.). Illud autem, quod anima Christi in repraesentationibus ad corpus fuerit adstrictum, de sensationibus eiusdem immediate, de ceteris vero repraesentationum generibus mediate valet, quia sensationes reliquarum repraesentationum fons habendae sunt (per Psychol.). Alterum, quod monebo, ad probationem animae Christi humanae pertinet; scilicet innititur eiusdem veritas in eius sacrae scripturae locis fidem huius sensationis facientibus, ut modo vnum laudem sine dubio distinctissimum ex Matth. 26. v. 38. vbi Christus iam calamitatibus & perpeccionibus hominum peccatorum loco subeundis maxime vexatus: *περίλυπος εἶμι*, inquit, *ἢ ψυχῆς μου εὐνοίας*. Nullus non satis videbit, quod etiam *ψυχῆ* haud raro vitam denotet in sacro codice, hic ille signi-

significatus admitti commode nequeat, id quod praedicatum illud *περιουσιος*, ceteraque aduerlari videntur. Si quis autem cum *πολιτισ*, aliisque, qui nomine *αφρογ* vulgo immotesunt, animam Christi superfluum quali haberet, quia ipsa in Christo diuinitas locum eiusdem latis compensare potuisset, huic ex Spho primo respondeo, quod ob finem a Christo perficendum saltem ipsi anima humana admodum fuerit necessaria. Vt id aliquo modo illustrius reddam, certum est, quod Christus vt passiuam ita & actiuam satisfactionem hominum loco Deo praestare debuerit (§. 1.). Taisi vero satisfactio a Christo liberae actiones ad legem diuinam perfectissime conformatas postulabat (per Dogmat.) quae vero animae inclinationes includunt (per Pynchol.) ergo hoc saltem respectu anima humana Christo admodum fuit necessaria, & has quidem vices diuinitas, quae in iplo habitabat, nunquam explere potuisset (per Dogmat.). Caeterum vti de his ita & de aliis bene multis in dissertatione obuiis, conferri merentur, quae digne tractauit doctissimus CARPOVIVS in *Psychologia Sacratissima* Cap. I.

§. 4.

Christus vera anima humana fuit praeditus (§. 3.) quae sibi fuit alicuius conscia (§. 3.) ergo etiam percipere quidquam potuit (§. 2.) perceptio autem cum conscientia siue apperceptione coniuncta est cogitatio (per Metaphyl.); hinc animae Christi competit. Cum vero ab esse ad posse semper valeat consequentia (per Metaphyl.) etiam facultas cogitationes habendi ipsi non deneganda est, vt itaque anima Christi pari modo per illud ens in iplo definiti possit, quod cogitat, si eam restrictionem addis, quam §. 3. addidimus.

§. 5.

Rem quandam cognoscere, pro actu sumtum, est cogitationem de hac re habere, & hinc cogitatio de aliqua re, nominatur cognitio. Dum itaque animae Christi cogitationes comperunt (§. 4.) cognitionem alicuius rei quoque habere potuit; & facultatem aliquid cognoscendi eum habuisse sequitur (§. 4.). Facultatem aliquid cognoscendi, facultatem cognoscitiuam & intellectum, latius nominant Philosophi; polluit ergo facultate cognoscitiua Christi anima. Facultas cognoscitiua duplicis generis esse potest, siquidem vel varia in toto quodam cognoscere possumus vel minus; si prius est, distincte aliquid cognoscere dicimur, si vero poste-

B  
rius

rius confuse rem cognoscimus, hinc facultas cognoscitiua inferior illinc superior enascitur (per Psychol.)

Dum hic de cognitione distincta & confusa loquor, quae repraesentationem claram in anima supponunt, eiusdemque sunt species, & dum ex inferioribus constabit, Christum poluisse facultate cognoscitiua inferiori & superiori, ergo cognitione rerum vel confusa vel distincta: nullus negare volui, quod anima Christi non obscuras repraesentationes etiam habere potuerit, quae clararum oppositum sunt.

## §. 6.

Omne illud, quod in nos agit seu corpus nostrum adficit, nobis praesens est, & contrarium, nobis est absens. *Sensationem* vocamus cogitationem rei praesentis, facultatemque eandem habendi, *sensum* (per Psychol.). Anima Christi cogitationes habuit; (§. 4.) & rerum praesentium, nam indubie scimus, quod Christus e. gr. viderit Ioh. 9. v. 1. audierit Cap. 11. v. 4. itaque organa sensoria non modo ipsi competere debent, quibus nos instructi sumus, quae sensationis rationem continent (per eand.). Sed & reuera sensationes habuit, ita porro sensus, Christi animae conuenit (§. 4.).

## §. 7.

Quicquid corpus nostrum non afficit, nobis absens est (§. 6.) Cogitationem rerum absentium, appellamus *imaginationem*, & facultatem easdem habendi, *phantasiam* (per Psychol.). In anima Christi cogitationibus locus fuit; (§. 4.) & rerum absentium, quod procul dubio multae a Christo parabolae prolatae satis comprobant; ubi res absentes sibi repraesentat & deinde cum aliis rebus comparisonem instituit, qualis e. grat. parabola de vinea Matth. 20. de diuine; consequenter animae Christi imaginationes, & phantasia (§. 4.) conueniunt.

## §. 8.

Facultas ex imaginationibus partialibus nouam totalem componendi, facultas *figendi* dicitur & ipsa haec compositio fictio- nis nomine venit. Anima Christi imaginationes habuit (§. 7.) sed ex imaginationibus partialibus nouam totalem etiam componere potuit, id quod pari ratione ex bene multis Christi parabolis videre

dere est, praefertim hoc elucet ex parabola Luc. 16. v. 19. seq. obuia, vbi dum Christus diuitem quendam lurconem, pauperculum quendam misellum, eorumque amborum diuersam vitae gestae rationem, sibi imaginabatur, nouam totalem componit, seu *fictionem* proponit; hinc *ficiones* producere potuit Christi anima. & quod porro sequitur, facultate fingendi instructa esse debuit (§ 4).

Cum *fictio* duplex dari potest, altera vbi varia partialia imaginatio- nis in nouam totalem componuntur, prouti sunt *compositibilia*, ita vt fingens certum finem per eandem obtinere studeat; altera vero vbi id minusprehenditur; prior rationalis, posterior absurda audit. Ad *ficiones* Christi quod attinet, ad primam earundem classem eas referimus, id quod vnicuique qui ipsas propius indagatur, facile apparebit.

§. 9.

Facultas cogitationes reproductas pro iis, quas olim habuimus, agnoscendi, est *memoria*. Anima Christi facultate cogitationes rerum absentium habendi instructa fuit (§. 7) porro reproductas cogitationes pro iis, quas olim habuit, agnouit: quod legitur inter alia loca Luc. 24. v. 44 vbi Christus sermonum suorum, quos discipulis suis olim proposuerat, mentionem inicit, itaque cognouit quod olim has cogitationes habuerit, eandemque discipulis suis proposuerit, de quo & Matth. 21. v. 42. cap. 28. v. 20. Ioh. 11. v. 40. conferri potest, hunc competit ipsi *memoria*.

§. 10.

Quando ex pluribus repraesentationibus vniam reliquis clariorem efficere conamur, *attendere* dicimur, ipse vero ille conatus animae attentio audit; quando illud continuamus, *reflectimus*, vnde continuata attentio, est *reflectio*. Contra, quando ex pluribus repraesentationibus vniam prae aliis negligimus, *abstrahere* dicimur, hinc ille animae conatus abstractio audit. Quae singulae facultates, etiam in anima Christi locum inuenerunt; commonstrant id ipsius orationes, vbi sine dubio ad ea, quae proferebat, attendebat, id est, clariora aliis sibi repraesentare studebat, idque proferebatur in orationis particulis, hinc ex altera parte

aliarum rerum repraesentationes suppressere conabatur. Memorabile exemplum de posteriori occurrit Ioh. 8. v. 6. 8. ubi accusationes, quas Pharisei in mulierem quandam *en moixez* deprehensam inferebant, negligebat, hinc recte concludere videor, quod anima Christi attentione, reflexione & abstractione haud caruerit.

## §. 11.

Ea animae facultas, per quam rerum observare similitudines potest, dicitur strictius *ingenium*. Quod quidem nullo modo animae Christi denegari debet, quod iterum ex parabolis Christi colligimus, uti nos praefertim edocer illud parabola Ioh. 15. v. 1. seq. obuia, ubi v. 4. criteria characteristica, quae intercedunt fideles ipsi adhaerentes & inter palmites vitis, sat scite detegit; siquidem dum isti a vite abscinduntur, omni profus viriditate & fructu carent, sic quoque qui unionem Christi respuunt, fertiles & ad opera bona perpetranda inepti sunt.

Haud errant, qui comparatis ingenii gradibus magnum & summum, quod in homines cadit, Christi animae adscribunt; id enim satis parabolae frequentiores testificantur; si praeterea nobiscum reputemus, quod Christus magistri institutione usus non sit Ioh. 7. v. 15, summum ingenium naturale ipsi assignandum ducimus.

## §. 12.

Omnes haec facultates, quas de anima Christi huc vsque probavimus, nihil nisi confusam cognitionem in anima Christi supponunt (per Psychol.); consequenter ad facultatem cognoscitivam inferiorem omnes pertinent (§. 5.) Itaque anima Christi *facultate cognoscitiva inferiori* omnino instructa fuit.

Potissent hic quidem plura adhuc & verbosius de hac Christi facultate disputari e. gr. quod *acumen*, facultas rerum observandi similitudines ipsi conveniat; sed iam operae haud visum fuit pretium. Sunt haec, me iudice, potiora, ex quibus facilius negotio cetera comprehendendi & deduci poterunt.

## §. 13.

Intellectus ea est animae facultas, per quam possibilea distincte sibi repraesentare potest. Distincte vero quid sibi repraesentat

rat anima, si varia in totis a se inuicem distinguit (§. 5.) idque reflectendo praeprimis conficit (per Psychol.). At dum anima Christi reflexione gauisa est (§. 10.) etiam distinctis repraesentationibus polluit, & hinc quoque facultate possibilia distincte sibi repraesentandi seu intellectu (§. 4.) id quod ex prolatis Christi orationibus satis quoque elucet.

Nec hic locus ille ex Luc. 2. v. 46. obliuiscendus est, qui paulo post in dissertationis altera sectione propius examinabitur, vbi *σωφρο* & *σοφία* Christo adolescenti adhuc attribuitur.

§. 14.

Operationes animae intellectuales, seu quae per intellectum fiunt, ab aliis quatuor, ab aliis tres, ab aliis demum duae conuertuntur. Prior est, qua notiones distinctas sibi format, altera, qua iudicia, tertia denique & quarta, qua ratiocinia format eademque inter se connectit, quae vltimae commode sub altera iam comprehendi possunt. Istaes omnes & intellectui, quo anima Christi polluit (§. 13.) assignandae sunt operationes. Quod ad priorem atinet in formatione notionum distinctarum consistit. Quam etiam si nullo ex historia Christi depromto exemplo suffulcire polleremus, ex praemissis iam sequitur; cum distinctas rerum repraesentationibus imbutam fuisse animam Christi satis constat (§. 13.) sed modo inspiciamus dictum Christi Ioh. 4. v. 24. Deus, inquit, est spiritus, hanc dum notionum comparationem instituit alteramque operationem intellectualem exercet, sane notione Dei distincta mente concepta caruisse nequit. Quod autem rarius tales notiones proponit, populi & temporis illius causa fecisse putandus est.

§. 15.

Quod ad alteram intellectus operationem spectat, in iudiciorum formatione seu notionum comparatione consistit; etenim *inducit* anima, si relationem duarum idearum cogitat. Anima Christi autem reuera iudicia formare eademque symbolice exprimere valuit (§. 14.) quod etiam Matth. 21. v. 15. seq. exstat; vbi Christus, dum imaginem Caesaris inscriptionemque numismati impressam, & Iudaeorum erga Caesarem relationem cogitabat, Caesari

B 3

omnino

omnino *Προσ* a Iudaeis soluendum esse iudicauit, hinc alteram mentis operationem anima Christi exercuit. Denique ad tertiam & quartam quod attinet, ea pari modo de Christo constat. Per Iustremus modo praelaudatum locum ex Ioh 4 v. 24. vbi ita fere Christus ratiocinari voluit: Si Deus est Spiritus, sequitur vt, qui ipsum adorare cupiunt. *εν πνευματι και αληθεια*, id est cultu perfectiori & libero interno, ipsum adorare debeant; verum est antecedens, ergo & consequens. Nec desunt exempla vbi plura Christus combinauit ratiocinia, quae modo in Syllogismorum formam redigenda sunt: hinc tertiam & quartam mentis operationem anima Christi exercuit.

Intellectus purus is nominatur, qui non nisi distinctis repraesentationibus pollet, cuius solum Deus capax est (per Theol. natural.) hinc nec in Christum hominem in se spectatum cadit, licet concedamus, quod per vnionem personalem ipsi concessus sit, quantum ad prouinciam mediatoriam pertinere poterat. Interim cum nihilominus, Christum e. gr. in parabolis suis adeo multa distinxisse minutissimaque in rebus detexisse, videmus: iure magnam intellectus subtilitatem ipsi adscribendam iudicamus.

## §. 16.

*Ratio*, si subiectiue eam sumis, est animae facultas nexum rerum perspicendi: nexus autem rerum est earundem adfectio, vi cuius vnum continet rationem alterius. Cum vero ex Psychologicis constet, animam nexum rerum, ratiocinatorum ope, perspicere, & anima Christi facultatem ratiocinia formandi possederit (§. 15.) ratione & ipse vsus est.

## §. 17.

Anima Christi non modo facultate cognoscitiua inferiori gaudita est (§. 12.) sed etiam intellectu (§. 13.) & ratione (§. 16.) quae facultatem cognoscitiuam superiorem constituunt (per Psychol.) hinc & ista animae Christi competat necesse est.

## §. 18.

In anima nostra non solum facultatem cognoscitiuam, sed etiam appetitiuam distinguere solemus (per Psychol.) quae facultas est appetitus & auerfationes habendi. Appetitus & auerfationes  
vel



vel ex repraesentatione confusa boni aut mali, vel ex distincta oriri possunt (per eand.); ex priori casu *appetitus sensitui* & auersationes sensitiuae euadunt, ex posteriori autem *rationales*, inde facultas animae appetitiua inferior, hinc superior enascitur (per eandem).

§. 19.

Appetitus in genere conatus animae bonum seu perfectum ad se relatum sibi repraesentandi dicitur, vti auersatio conatus malum seu imperfectum ad se relatum sibi repraesentandi. Quando appetitus ex repraesentatione boni confusa oritur sensituius, & auersatio quando ex repraesentatione mali confusa oritur, sensitiua dicitur (§. 18.). Anima Christi sensationibus (§. 6.) imaginationibus (§. 7.) &c. polluit, quae omnia ex confusa repraesentatione oriuntur (§. 12.); ergo confusis repraesentationibus etiam gauisa est, hinc quoque appetitus sensituios & auersationes sensitiuas habere potuit. Quod autem & reuera Christus tales dederit conspicuos Matth. 26. v. 39. nos edocer; hic Christus quidem, vt calix passionum suarum transiret, optabat, hinc pati & mori tanquam malum ad se relatum, at confuse, sibi repraesentabat, ergo auersationem sensitiuam exseruit, quas tamen, vti ex sequentibus apparebit, rationalibus semper subiecit.

§. 20.

Conatus animae vehemens est, vt dicimus, *affectus*, qui ex repraesentatione multorum bonorum aut malorum oritur & quidem vel confusa vel distincta; illinc *affectus sensituius*, hinc *rationalis* euadit (per Psychol.). Anima Christi dum appetitus sensitui & auersationes sensitiuae illi competunt (§. 19.), pari modo affectus sensitui adsignandi sunt, id quod ex inductione ex Sacra Scriptura facile efficitur; etenim praedicatur de Christo tristitia Ioh. II. v. 33. 35. gaudium Luc. 10. v. 21. amor Ioh. II. v. 5. 35. &c. quae omnia ex adfectuum sunt numero (per Psych.) ergo reapse Christo affectus sensitui conueniunt.

Abit tamen, vt omnem illam affectuum seriem, quae post lapsum nos demum detinet stupidos, fontemque suum illud nobis inhaesitum peccatum agnoscit, Christo vellemus adscribere; qui quidem illa macula haud  
con-

conspureatus fuit, vitamque visit omnino sanctissimam, vti ex altera dissertationis sectione pluribus constabit.

## §. 21.

Appetitus ex distincta cognitione boni ad nos relati ortus rationalis, quemadmodum auersatio ex distincta cognitione mali ad nos relati, rationalis appellatur (§. 18.): facultas animae priores habendi, est *voluntas*; & facultas posteriores habendi *noluntas*. In anima Christi intellectui, hinc quoque cognitioni distinctae locus fuit (§. 13.) ergo & oriundis inde appetitibus & auersationibus rationalibus, consequenter etiam voluntati & noluntati (§. 4.). Exemplo etiam fit id, quod iam supra (§. 19.) ex Matth. 26. v. 39. citauimus, vbi Christus, qui iam distincte cognouerat, praestare ipsi mori, voluntati diuinæ sese commendat: Tua, inquit, non mea fiat voluntas, ergo hic mortem suam cruciatusque cum ipsa connexos appetiebat rationaliter, & contrarium similiter auersabatur; ergo Christus appetitur & auersationes rationales habere potuit.

## §. 22.

*Eligere*, est ex pluribus possibilibus distincte cognitis id sumere, quod maxime placet, & facultas eligendi est *libertas*. Quam etiam animae Christi vindicamus, quippe quam ipse sibi vindicat Ioh. 10. v. 18. *ἀπ' ἑμαυτοῦ*, id est, quia vtrumque mihi integrum fuit, inquit, *τιθῆμι τὴν ψυχὴν μου*, ergo inter mori & non mori eligere poterat, & consequenter facultatem eligendi (§. 4.), libertatem puta, possedit.

## §. 23.

Facultas animae appetitus sensituios & auersationes sensituias habendi, est facultas appetitiua inferior, quae hinc animae Christi competat necesse est (§. 19.) contra facultas appetitus & auersationes rationales habendi facultatem superiorem appetitiuam constituit (§. 18.) quae pari ratione rectissime animae Christi attribuenda est (§. 21.).

## §. 24.

Corpus dicitur omne ens compositum: Nullum corpus cogitare potest (per Metaph.), anima Christi autem cogitauit (§. 8.)  
confe.

consequenter ens simplex dicenda est (per opposit.). Ens intellectū & libertate praeditum *spiritus* dicitur, quibus cum anima Christi gauisa est (§. 18. 22.), spiritus est.

§. 25.

Ens infinitum metaphysice sumtum est id, quod sine omnibus limitibus cogitari debet, finitum vero omnino gaudet limitibus. Anima Christi in repraesentationibus suis ad corpus adstricta fuit (§. 3.) hinc limites habuit; & ens infinitum non nisi unicum existit, quod *Deum* vocamus (p. Theol. natural.) anima Christi autem non Deus fuit, licet cum Deitate arctissime demum coniuncta fuerit (per Dogmat.) hinc inter entia finita omnino recenseri debet.

Vnde porro sequitur, quod in se spectata perfectiones illimitatas non habuerit, & si easdem habuit, ipsi a Deo solummodo sic concessae sunt, quantum illas quidem recipere par fuit.

§. 26.

Anima Christi ens finitum fuit (§. 25.) quale & nostrae animae sunt (per Psychol.) porro anima Christi tam facultate cognoscitiua inferiori & superiori (§. 12. 17.) quam appetitiua inferiori & superiori (§. 23.) fuit praedita, qualibus & nostrae pollent (per Psychol.) hae vero facultates animae *essentiales* sunt, seu eiusdem essentiam constituunt (per eand.); itaque dum anima Christi eandem cum nostris habuit facultates essentielles, nostris omnino fuit similis (per definit.). illum, qui eandem cum altero habet essentiam, *ὁμοειδον* alteri dicimus, atqui anima Christi eandem cum nostris essentiam habuit, consequenter animabus nostris fuit *ὁμοειδον*.

§. 27.

Ideam, quae tantum identitatem individuorum exhibet seu eas tantum determinationes, quae pluribus indiuiduis adeo communes sunt, nominamus *speciem*. Anima Christi existit (§. 3.) sicut & nostrae (per Psychol.); omne existens vero dicimus indiuiduum, ergo anima Christi, sicut quoque nostrae, fuit indiuiduum. Porro anima Christi animabus nostris fuit *ὁμοειδον*. ea

C

autem

autem identitas, quae inter individua intercedit, est species (per definit.) consequenter anima Christi nostris fuit specie *εμμετρως*.

Hanc adhuc disquisitionem nobis necessario incubuisse quis est qui non videat? etenim quando in sequentibus probatum ibimus, animam Christi imaginem diuinam gessisse, & si iam constet animas protoplastorum nostrorum eandem habuisse olim concreatam, tunc omnino sponte fuerit, quod ea omnia, quae imaginem diuinam in anima Christi constituerunt, etiam eandem in protoplastis constituerint. Sed nunc demum hic vela contrahere & huic de anima Christi tractationulae coronidam imponere licet. Peruissent quidem & alia adhuc disputari, & praesertim de eiusdem origine, in qua dissoluenda quaestione Theologi admodum dissentiunt; alii eam praexistisse, alii a Deo dum prima corporis Christi stamina componeret immediate esse creatam, alii per traducem propagatam esse defendunt. Sed cum salua re nostra, hac quaestione sine multis ambagibus non dissoluenda, superfedere possimus; & praeterea id vix patiantur dissertationis angusti limites, intactam illam derelinquere visum fuit. Intra ita ad illam dissoluendam studium suum conuerterunt CARPOVIVS in *Psychologia sacratissima* Cap. III. & in aliis commentationibus de stamine humanitatis Christi, & GRAEVIUS in *Christologia recens controuersa* quaest. 1.

§. 28.

Primarius finis, cuius gratia Christus in hunc orbem terrarum deuenit, in eo consistit, vt tanquam vicarius hominum eas eorundem non modo obligationes impleret, quae ipsis incumbabant, sed etiam malorum poenas mortemque horum loco subiret; (§. 1.) hinc vt illud perageret, corpus humanum necessario ipsi assumendum erat.

Multos quidem iam a prioribus inde seculis dogma istud habuit aduersarios, qui ingentibus & molestis dediti commentis coeleste corpus saltem ipsi assignabant, quia omne materiale peccaminosum iudicabant. Expressis autem verbis sacra scriptura corporis Christi mentionem iniicit Ioh. 2. v. 21. Ebr. 2. v. 14. eidenque omnes corporis nostri partes adscribit (per Dogmat.).

§. 29.

Si in originem corporis Christi inquiratur, edocent nos sacra oracula, quod miraculoso modo per efficaciam summam Trinitus Dei, & attributivae, terminatae, per omnipotentiam Spiritus sancti

sancti in utero Mariae productum sit Luc. I. v. 35 cuius modum, quia est mysterium, non penitus perspicere nobis contingit. Hinc naturali via, ut mortalium omnes, Christus plane non genitus est. Sed id quoque necessarium erat, quia Christus alias per propagationem naturalem in illius locis communionem venisset, quae nobis post lapsum iam cunctis inhaeret Ioh. 3. v. 6. Plal. 51 v. 7. nihilominus tamen officium suum mediatorium ab ipso sanctitatem effulgabat omnibus numeris absolutam Hebr. 7. v. 26.

Ea quae de forma Christi corporis &c. disputari solent, hic nullum in casum veniunt; praeterum cum nullo satis firmo fundamento iuuantur.

§. 30.

Quando in operationibus vnus entis est ratio fiendi operationum alterius, tunc *in harmonia esse*, seu commercium inter se habere dicuntur; hinc quid commercium inter animam & corpus Christi sit facile patebit. Anima Christi ut & corpus, nostris plane fuerunt similia (§. 26. 28) hinc, sicut commercium nostram inter animam atque corpus explicari debet, ita idem illud inter animam atque corpus Christi explicandum erit. Quoniam vero tanta in explicanda harmonia animam inter corpusque nostrum sunt Philosophorum dissidia, ut sine multis ambagibus vix aliqua explicandi ratio affirmari possit: consultius plane esse duxi nil nisi haec in genere affirmare; quoniam tot adeo systemata explicandi illam harmoniam cogitari possunt, quot Philosophi in explicanda harmonia inter animam & corpus nostrum, noue cogitant.

§. 31.

Itaque cum ad veram naturam humanam constituendam tam anima rationalis quam corpus organicum requiratur, quae inter se amice conspirare debent (§. 1. Schol.) & vtraque humanitatis pars iam satis de Salvatore nostro confiteri: denique ex his omnibus rectissime colligimus, quod veram naturam humanam habuerit Christus.

Sufficiant haec, quae adhuc de humana Christi natura in genere  
C 2 disputantur.

disputauimus, quaeque omnia ex Theologia reuelata & Philosophia lemmatum instar deluimus. Interim eiusdem consideratio aliquo modo necessaria uisa est, siquidem *subiectum quod* illius diuinae imaginis, quae statim exercebit nostram industriam, humana Christi natura constituit; & quidem *primarium*, seu *informationis*, quo, anima, secundarium uero corpus. Ad id itaque nunc, quod dissertationis caput est, festino.

## SECTIO II.

DE

## IMAGINE DIVINA IN EADEM.

§. 32.



Quemadmodum in genere aliquis imaginem alterius habere dicitur, quem inter cum altero intercedit similitudo eo sine ipsi data, ut alterum repraesentet; ita quoque ille imaginem Dei habebit, qui cum Deo similitudine gaudet eo sine ipsi concessa, ut Deum repraesentet. Itaque pater, si humanae Christi naturae in se spectatae imaginem vindicamus diuinam; nil nisi similitudinem cum Deo ipsi vindicamus eo sine ipsi datam, ut Deum repraesentet.

Circa haec pauca admonere uisum est: Quod primo ad hoc dogma attinet: quod hac commentatione mea discussi, mirum adeo mihi uideretur, quod huc usque inculta paene inuenerit paucis eruditis exceptis, qui saltem mentionem eiusdem iniiciunt. Ipsi in lucubracionibus & scriptis patrum uix mentio huius rei exstat, qua primis, ut aiunt, lineis descripserunt, qui tamen aliis dogmatibus inutilioribus sunt admodum diuites; ita ut nostris adhuc temporibus, licet sapientius temere, multi de eorumdem conueruantur stabilitatibus; hinc dogmatis huius historia hic a me expectari nequit, cum multis eam in rem circuitionibus opus sit. Sed mirum mihi eiusmodi de hac re silentium uideri dixi; quia suo comunodo & ualitate illud dogma haud desitutum, magni potius ponderis habendum est, id quod ex infra dictis luculentius constabit. Interim iam supra laudatam CAROLI Pſychologiam sacratissimam omnibus hic denuo commendo. Quod porro ad definitionem imaginis diuinae in humana Christi natura attinet, scio equidem, quod illa uox uarios significatus & in ipsis sacris litte-

litteris & apud Theologos nostrates obtineat, qui ex dogmaticis vnicuique satis constabunt. Ego vero imaginem diuinam de humana Christi natura statuens, vocabuli adaequatum significatum sumo, vt per eandem peculiarem qualitarum Christi hominis similitudinem cum iisdem summis perfectionibus Dei intelligam; ita vt ex his naturae humanae Christi perfectionibus ad easdem summus Dei concludere liceat, qualem diuinam imaginem pariter protoplastis nostris in statu innocentiae attribuimus, quam vero per peccatum amiserunt, quamque nos in statu gratiae demum ex parte rursus ostendere possumus.

§. 33.

Imago diuina in humana Christi natura in similitudine perfectionum seu realitatum eiusdem cum iisdem Dei consistit (§. 32.), quae quidem similitudo seu conuenientia vel essentialis vel accidentalis esse potest: aut prior neququam naturae Christi humanae in se comperere potest, quia tunc in diuinam plane abiret; hanc imaginem diuinam essentialem secundae diuinae personae tribuunt sacrae litterae, & quidem eminentiori significato vox ista tunc sumitur, vt non in similitudine Christi Dei cum Deo patre sed in *ὁμοσίου* & identitate essentialis cum patre ponenda sit, id quod scholastici imaginem aequalitatis dicere amant. Occurrit ista de Christo Deo locutio Coloss. 1. v. 15. *ὅτι ἐκὼν τὸ Θεὸν ἀόρατον*, Hebr. 1. v. 3. *ὅτι ἀφανήματα τῆς δόξης καὶ χροματικῆς τοῦ Θεοῦ ὑποστάσεως* 2 Cor. 4. v. 4. *ὅτι ἐκὼν τοῦ Θεοῦ* dicitur, sed loca haec nullo modo ad hanc imaginem diuinam, in natura Christi humana, respiciant; sed, vt cuius statim apparet, de ipsa diuina Christi natura agunt, eidemque imaginem diuinam aut eminentiori significato tribuunt. Itaque ex his videre est, quod nos accidentalem tantum humanae Christi naturae in se tribuamus imaginem diuinam, quae bene ab essentiali distingui debet. Hinc porro patet, quod duplex imago diuina Christo omnino adscribi possit, altera essentialis seu eminentiori significato sic dicta, quam diuina eiusdem naturae absoluit; altera accidentalis, quae humanae eius naturae concessa est, & de qua nunc mihi vniuersa est disputatio.

Eandem duplicem imaginem diuinam in Christo distinguit & statuit h. GERHARDVS in *Isagoge locor. theologic.* disput. 21. cap. 7. num. 3.

## §. 34.

Similitudo perfectionum Christi hominis cum iisdem Dei eo sine ipsi data, ut Deum repraesentet, imaginem diuinam in humana natura Christi constituit (§. 32.), iam vero Christus homo non solum anima rationali (§. 3) sed etiam corpore organico (§. 28.) fuit praeditus. Deus autem, qui natura sua ens simplex est, corpore omnino caret (per Theol. natur.); consequenter si Christus homo Deo similis esse debet, non proprie qua corpus suum, quod ens compositum fuit, sed qua animam saltem, quae pari ratione ens simplex fuit (§. 24.) Deo similis esse potuit.

Quamuis corpus Christi hominis non proprium quidem & adaequarum imaginis diuinæ subiectum habendum sit, non negamus tamen sed suis potius postea stabiliemus argumentis, quod corpus Christi improprie tamen, consecratius seu significatiue, ut cum Scholasticis loquar, imaginis diuinæ fuerit particeps. Hinc statim videre est, quod Theologorum distinctio, qua imaginem diuinam protoplastorum nostrorum in primariam & secundariam distinguunt & commode hic visu venire possit; prior ea imaginis diuinæ momenta, quae animae Christi primario eiusdem subiecto, *πρωτο δευτως*; posterior ea, quae corpori, secundario eius subiecto, fuerunt propria, complectetur. Vtramque imaginis diuinæ partem etiam Christo in sequentibus vindicaturi sumus.

## §. 35.

Christus homo animam habuit rationalem, in qua omnino & superiores & inferiores facultates locum inuenerunt (§. 5-23.). Deus autem, qui spiritus est perfectissimus haud facultatibus inferioribus sed superioribus duntaxat gaudere potest, quippe quae veram in ipso imperfectionem ponerent (per Theol. natur.) hinc si animae Christi similitudo perfectionum cum iisdem Dei competit, ista in inferioribus eiusdem facultatibus proprie & primario non ponenda erit, sed saltem in superioribus.

Absit tamen ut facultates animae Christi inferiores plane a participatione imaginis diuinæ excludere velim. Sed ita mens mea sese habet, quod proprie loquendo facultates superiores animae Christi quidem primario imaginem diuinam receperint; interim quia tamen haec inferiores facultates animae Christi cum superioribus optime connexae fuerunt, id quod nemo inficiabitur, ita ut in his non commode imago diuina



diuina locum inuenire potuisset, nisi maior illarum perfectio, integraque earum constitutio locum inuenisset, etiam de illis imago diuina licet ratione impropria praedicari potest, vt per eandem e. gr. facultas sentiendi maior, facultas imaginandi felicior &c. ipsi possit tribui. Vnde demum patet, quod imago diuina in anima Christi per maiorem perfectionem facultatum illius definiti possit, quae summas Dei facultates repraesentantur.

§. 36.

Cum imago diuina primario in anima Christi quaerenda sit (§. 34.) & quidem in superioribus eius facultatibus potissimum non exclusis tamen inferioribus (§. 35.): & anima Christi duplici facultate superiori, puta cognoscitiua seu intellectu (§. 13. & 17.) & appetitiua seu voluntate (§. 21.) polluerit, sequitur vt tria momenta ad imaginem diuinam in anima Christi constituendam requirantur; primum in intellectu, alterum in voluntate, tertium denique in inferioribus facultatibus eius ponendum erit.

§. 37.

His de imagine diuina in natura Christi humana praemissis, quae omnino praemittenda videbantur, sequitur, vt nunc eandem de Christo subsumamus, validisque, quantum fieri poterit, argumentis euincamus. Vt itaque praefixam nobis metam feliciter attingamus, duplici argumentandi via incedemus: primum imaginem diuinam in genere argumentis quibusdam humanae Christi naturae vindicabimus, deinde in specie & partes imaginis diuinae primarias, quas anima Christi gestauit, & secundarias, quas corpus Christi possedit (§. 34.) euincemus, quod si effecerimus consilium, satis firmis fundamentis dogma illud superstruendum esse putamus.

Eni quae tota tractationis, quae sequitur, est series! eorundem vero, quae haec excipiunt, ordo suo loco satis constabit.

§. 38.

Agmen argumentorum, quibus in genere imago diuina in natura Christi humana probari potest, iam illud ducat, ex necessitate eiusdem in Christo homine desumptum, quod in syllogismi formam redactum sic sonat: Si Christus Deus vera humana natura indutus (§. 31.) eum in finem haec in terra apparuit, vt tanquam

quam summus Sacerdos hominum peccata per se ipsum deportando ipsos Deo reconciliaret, ita ut ipsi nunc demum ad illam, quam lapsu perdidit, diuinam imaginem renouari possint: sequitur ut Christus homo ipse hanc diuinam gestauerit imaginem atque &c. ergo &c. Antecedens syllogismi huius haud quispiam verae religionis christianae interpres in dubium vocabit, quippe quod sit distinctis sacrae Scripturae locis innititur Rom. 5. v. 10. 18 &c. 2 Corinth. 5. v. 17-19. 21. Hebr. 9. v. 14. 15. Luc. 19. v. 10. 1 Petr. 2. v. 24. 1 Tim. 2. v. 5. 6. &c. at consequentia inde deducta non statim unicuique videbitur legitima; hinc ut eluceat, ea, quae paucis obseruationibus includemus, bene notanda sunt. Reputemus itaque nobiscum 1) quod posita imagine diuina in natura Christi humana non solum iusta intellectus animae Christi, sed etiam voluntatis ponatur perfectio (§. 36. 32.), contra negata eadem eorumdem ponatur praua indoles, adeoque peccatum actu primo & secundo, quod ex infra dicendis magis adhuc constabit; itaque Christus ut homo in se spectatus non solum originario illo malo, laboraret, sed etiam, uti nos post lapsum, ad peccata perpetranda foret capacissimus. Sed α) ille, qui hominum miserorum peccata extinguere, ipsosque Deo reconciliare volebat, sane ab omnium peccatorum genere exemptus, ipse illa iustitia, quae Rom. 1. v. 12. δικαιοσυνη *Oes* audit, haud carere debebat; aliter enim cum pro suis ipsis peccatis similiter facere satis debuisset, satisfactio illius, valoris ad nos nullius esse potuisset (per Dogmat.) porro β) ut Deus hominum peccata extinguere posset, ipsum suum filium hunc in mundum misit, qui hanc ob causam veram humanam naturam assumere debebat (§. 1.) sed si illa natura humana corruptae & ipsa fuisset indolis, non sane eo modo secum illam vnire potuisset Christus Dei filius; itaque vnio hypostatica, negata imagine diuina in humana Christi natura, etiam neganda erit. Itaque si finem hunc Christi concedis, qui antecedens syllogismi mei constituebat, pari modo concedere debes quod imago diuina Christo homini fuerit necessaria. Reputemus 2) sacrae Scripturae oracula Hebr. 4. v. 15. Cap. 7. v. 26. quis est, qui ex his sponte fluere non videat, quod, si μερις vices Christus explere

explere uoluit, tali perfectione humanae suae naturae destitutus esse nequirit, qualem nos diuinam nominamus imaginem. Itaque dum ubique in sacra Scriptura legimus, Christum reuera hunc finem expleuisse: iure concludimus, ipsum & reuera ea omnia, quae necessario adesse debebant, possedisse, consequenter diuinam in humana natura imaginem.

Vnum alterumque circa haec monere & remouere non plane uideatur superfluum. Prouocauimus antea ad *ἀντικεινόν* Christi, quam negata in Christo homine imagine diuina ipsi diximus necessario competere, contra autem, cum hanc iure reprobauimus, ex impeccabilitate Christi veram imaginis diuinae existentiam in humana eius natura, intulimus. Sed primo si forsitan ex hac parte censuram mereri quibusdam uideo, quod ex hac imaginis specie & parte in uoluntate Christi, ad totam eandem conclusionem instruerim: facile respondendum est, quod haec imaginis diuinae pars sine aliis separata existere non potuerit, itaque si modo hanc per argumentum meum effeci, iam mihi satis est. Interim loco huius quisque aliam quancunque imaginis diuinae partem substituere potest, nihilominus recte se habebit conclusio. Sed hoc non ita est difficile. Alterum, quocum mihi nunc res erit, grauius forte est dubium, magnanque ueritatis prae se fert speciem; scilicet, uti ex infra dictis patet Christo homini duplex *ἀντικεινόν* species, altera inhaesiuua, altera communicatiua omnino conuenit. Hinc dices, si modo posteriorem Christus possedit, illa iam sufficiet; itaque ex hoc fundamento, quod Christus homo *ἀντικεινόν* necessario habere debuerit, non statim concludendum est ergo & hanc inhaesiuuam, qualem nos in Spho statuimus, habere debuit; consequenter nec diuina imago Christi hominis ex hoc statim sequitur. At euanesceat nihilominus illud dubium rebus rite ponderatis. Etiam si lubentissime concedam, quod simulac modo humana Christi natura incepit existere, statim cum natura diuina coniuncta fuerit: interim consideremus hanc naturam humanam in se, abstrahendo ab uisione hypostatica; si nunc illi denegas imaginem diuinam, peccabilitatem statuis, quae tamen omnino abesse ab humana illa natura potuit, ita ut *προσώπου* diuina iam non sit causa. Etenim, ut modo hoc uicium adducam; nos omnino interualtum mente, *κατὰ σκευασίαν*, distinguere possumus, antequam diuina natura humanam secum coniungat; sed si ante uisionem hypostaticam humanitas Christi peccabilitate laborasset, non sane fieri potuit, ut eam secum coniungeret diuinitas (§. 38.) itaque tamen stabit nostra sententia. Ita nobiscum docet Theologorum facile princeps b. BAYMGARTEN in Dissert. de *ἀντικεινόν* Christi eiusdemque necessitate §. 26—29.

D

§. 39.

## §. 39.

Deueniamus ad aliud argumentum, quod ita conceptum habes: Si Christus homo a Deo ipso & attribuitus a Spiritu sancto in utero Mariae productus est miraculoso plane modo, ut Luc. I. v. 35. existit. sequitur ut Deus illum vel cum imagine diuina, vel sine eadem produxerit; & si prius est, vel semper Christus eandem retinuit vel postea perdidit; vtrumque prius itaque si efficere possumus, nimirum quod Deus Christum omnino cum diuina imagine produxerit, atque producere debuerit, & quod ipse Christus eam tunc semper retinuerit nec amittere quidem potuerit: tunc satis constabit dogmatis de imagine diuina in humana Christi natura veritas. Ut ordine incedamus, primo probandum est, quod Deus naturam Christi humanam sine imagine diuina nec produxerit & ne producere quidem potuerit. Quod ut legitur me fiat 1) Supponimus hic ex §. 28. quod Christus homo ordinaria via, ut mortalium nunc omnes, haud natus sit, ita ut illud Christi effatum Ioh. 3. v. 6. in ipsum non caderet: quicquid a carne nascitur caro est, i. e. quicquid a moraliter corrupta homine nascitur, corruptum est. Sed iam satis constat, miraculoso modo a Spiritu sancto in utero Mariae humanitatem Christi productam esse. 2) Si itaque Christus homo a Deo ipso miraculoso modo productus est, sequitur ut Deus, qui sine fine haud quidquam agere potest (per Theol. natural.) finem sibi constituerit, cur Christum produxerit ita nec aliter; qui vero in manifestatione summarum Dei perfectionum per Christum, perpetrandoque ab ipso redemptionis opere consistit; etenim quaecumque Deus agit ut perfectiones suas manifestet, agere debet (per theol. natural.) quae cum ita sint, ut Deus per Christum perfectiones suas, quantum fieri potuit, manifestaret necesse fuit. 3) Perfectiones Dei per Christum hominem optime manifestabantur, si ipsi tantas perfectiones concessit, quantas modo recipere potuit; etenim tunc ex his Christi hominis perfectionibus ad summas auctoris perfectiones concludere fas erat. 4) Ex manifestatione diuinarum perfectionum cultus Dei resultat, qui in actionibus ex motu perfectionum diuinarum susceptis consistit (per theol. vram.

utramque) hinc partim supponit cognitionem Dei summarumque ipsius perfectionum partim inclinationem voluntatis ad eundem. Cum Deus autem cultum suum in tantum promouere debeat, in quantum fieri potest (per eand.): sequitur, ut Christo homini tantam sui cognitionem, tantamque voluntatis inclinationem ad cultum suum indiderit, quanta fieri potuit, quas si Christo indidit, similitudinem cum summo Dei intellectu & optima Dei voluntate ipsi concessit: consequenter diuinam imaginem (§. 32.).

§. 40.

5) Porro obseruamus, quod Deus in omnibus, quae ad homines agit, non solum perfectionum suarum manifestationem, sed etiam vnus cuiuslibet felicitatem promouere studet, per summam suam bonitatem, quae in fruitione perfectionum possibilem consistit. Itaque cum imago diuina in Christo homine magna felicitas sit, sequitur ut Christum imagine diuina indutum Deus creauerit. 6) Ponamus denique contrarium, illud contra omnes Dei perfectiones sane militaret, & eo ipso Deus omnino imperfectionum auctor esset, quod dicere omnino impium. Ex his omnibus denique inferimus, quod Deus humanam Christi naturam cum tanta sui similitudine creauerit, quantam modo, quia ens finitum est, recipere potuit.

Licet etiam concedam, quod anima Christi praexistit, & non tunc demum a Spiritu sancto producta sit, cum prima corporis Christi stamina in utero Mariae creauerit; salua tamen mea manet argumentatio; si mihi modo conceditur, quod Deus dum animam Christi crearet, illam sibi creauerit similem. De his, quae hoc Spho occurrunt & optime conferri meretur, quod PRAESES huius dissertationis Grauisinus licet alio respectu doctissime differuit, in commentatione de *Imagine diuina in homine per lapsum perditam* §. 2. seq.

§. 41

Sequitur nunc, ut altera argumenti mei pars (§. 38.) euincatur; ita concludendo: Si Christus adeo cum imagine diuina creatus est (§. 9. 40) vel semper eandem retinuit, vel postea perdidit. Ut posterius itaque subuertamus ad sacram scripturam propinquamus, vnicum huius & historiae & dogmatis fontem, quae

adeo nusquam peruerstatem ullam huius generis de Christo indicat, ut potius contrarium luculenter asseueret, dum vitam Christi nobis depingit sanctissimam, & exemplum imitatione omnium prosequendum. Iudaeorum exemplum nos hoc edoceat, qui inimici Christi satis callidi, licet totam Christi peractam vitam, actionesque ab ipso perpetratas attenta mente semper examinauerint, nihil tamen sub aliqua specie proferre potuerunt, quod in sanctae vitae rationem offenderet. Sed haec tanta & perpetua Christi voluntatis inclinatio versus bonum, quae ipsius sanctitatem efficit, nunquam sane locum habere potuisset, sine singulari intellectus perfectione, integraque aliarum facultatum animae Christi constitutione; quae omnia primariam imaginis diuinae partem constituunt (§. 36.).

## §. 42.

Nec Christum vnquam imaginem diuinam perdere potuisse affirmandum est; quia humana Christi natura cum diuina statim aeternissime coniuncta fuit; per quam vnionem hypostaticam vsus diuinarum perfectionum facultatem futurus mediator nactus est (per Dogm.) ut itaque hanc ob praestantiam lapsus in Christo homine ad euerendam imaginem diuinam, plane fuerit impossibilis.

Quaeri posset, an Christus solus homo, si nunquam diuina natura cum ipso coniuncta fuisset, labi potuisset, quae quidem quaestio plane inutilis est, quia nunquam extra vnionem humanae Christi naturae existit, interim facile concedi posset illa possibilitas vtopica.

## §. 43.

Tam ad tertiam argumentorum, quae imaginem diuinam in humanae Christi natura efficere possunt, classem, pedem profero. Huc ea sacrae scripturae loca refero, vbi eiusmodi Christus insignitur nominibus, quae aliquo modo imaginem diuinam in ipso adfuisse innuunt. Primo Christus *Adamus alter* nominatur, ita ut cum priori conferatur 1 Corinth. 15. v. 45. 47. Rom. 5. v. 14. Nam, licet alio respectu vtrosque conferat Apostolus, dum in priori loco corporis Christi caelestis post resurrectionem ipsius praestantiam prae terreno Adami primi corpore ostendit, & in post-

riori, quod sicuti per primam Adamum typum alterius peccatum in omnes redundauerit homines, ita per Christum antitypum omnibus acquisita sit iustitia, ex hac Christi denominatione tamen aliqua ratione saltem colligere fas erit, quod Christus integritatem parem perfectionemque animae corporisque sui possederit, qualem Adamus primus habuit, antequam in statu innocentiae legem diuinam migravit. Porro huc spectat, quod Christus in celebri illo *πρωτευαγγελιω* Genes. 3. v. 15. semen nominatur mulieris. Omni procul dubio Messias hoc loco humano generi promittitur redemptor, ita quidem, ut hac denominatione ad miraculosam eius generationem, qua homo, respiciatur, ubi ex sola virgine sine masculi concubitu per Spiritum sanctum ad existentiam venturus sit, quod non aliam ob causam hic exstat, nisi ut ostendatur Christum ea peccati originalis macula, qua omnes Adami posterius adpersi sunt, haud fore contaminatum, hinc illa ipsa denominatio imaginem diuinam in Christo homine aliquo modo innuit.

Interim lubentius confiteor, quod haec argumenta prioribus longe postponenda sint, ubi quidem sententiae meae nec quidquam decedit, cum ipsis facile superfedere potuissim, ipsa tamen adducere saltem visum est. De his autem: quae haecenus disserui, dissertatio b. BREFFHARTII hic olim Theologi celeberrimi de *syncretismi Adami primi & secundum* conferenda est.

§. 44.

Eiuncta tandem imagine diuina in humana Christi natura in genere (§. 38-43.) ad specialiora progredimur, ubi speciatim non solum essentiales & proximas imaginis diuinae partes in anima Christi rationali (§. 34-36.), sed etiam extraessentiales & remotas in corpore Christi humano (§. 34) stabilire habemus. Quod ad prius atinet, circa quod nunc statim occupabimur, ordinem (§. 36) constitutum sequemur; ita, ut ab intellectu Christi incipiamus, & efficiamus, ipsum diuina imagine omnino fuisse instructum. Ante omnia vero ipsum demonstrandum seu id, quod imaginem diuinam intellectus Christi constituit, bene notari debet. Hoc autem sic deducimus: Deus propter summam suam

D 3

perfe-

perfectionem intellectu summo pollet, id est distinctissimo (per theol. natural.) ergo summa Deus intellectus sui gaudet scientia & sapientia (per eand.). Christus homo animam habuit rationalem (§ 3) intellectu omnino praeditam (§ 13.), hinc si intellectui animae Christi similitudo cum intellectu Dei summo conuenire debet, illa in Christi hominis scientia & sapientia ponenda erit.

## §. 45.

Quod Christus homo hanc duplicem intellectus perfectionem possederit, ut nunc euincamus necesse est. Primum, quod ad scientiam intellectus Christi attinet, quae in facultate obiecta distincte sibi repraesentandi consistit, prouocamus ad Luc. 2. v. 47. ubi Christus adolescens adhuc in ea, quam auditoribus suis proponit, doctrina & institutione, magnam intellectus sui perspicuentiam dar conspicuam; quae quidem suae aetatis homini vulgari nullo modo competit, adeo ut omnium oculos in se fixos tenuerit, iisque ab *συστην* suam stuporem concitauerit. Huic v. num alterumue addi potest; nouimus scilicet, collato Ioh. 7. v. 15. quod Christus more nostro ab aliis doctoribus minime edoctus fuerit, & nihilominus tanta gaudebat intellectus sui scientia, quae in homines adhuc accedit ponderis. Nec illud minus sententiam nostram confirmare potest. si cogitamus, quanta semper ad Christum, vbicunque demum versabatur, hominum multitudo confluerit, quae lubentissime ab ipso erudiri cupiebat, nec sine admiratione Christum perorantem & docentem audiebat Matth. 7. v. 29. Hanc autem hominum multitudinem non semper ex infima plebe constituisse, apparet, si quidem reperitis vicibus plures Phariseorum, *φαραυσηων* & Sadduceorum vires suas periclitabantur disputando cum Christo; & semper quidem bene praeparati, ut ipsum forte acute repertis inuoluerent, sed nec vniquam sine pudore ab ipso discedebant hi Iudaeorum doctissimi. Ipsi denique si totam Christi vitam examinamus quis est, qui praesertim in veritatibus ab ipso propositis magnam intellectus scientiam detegere nequeat?

Huius



Huius intellectus Christi scientiae obiectum non solum ipse Deus, sed etiam Christus ipse ceteraque fuerunt creaturae earumque nexus, qui pertinent ad legitimum usum; quod vnicuique facile apparebit. Cum ea cognitio, qua quis sine adhibita industria aut aliorum institutione pollet, habitualis audiatur, eandem Christo competisse recte concludimus.

§. 46.

Pari modo Christo homini sapientiam magnam ex priori redundantem tribuunt sacrae litterae, quae in nexus finalis perspicientia consistit. Patet illud, quod diximus, ex Luc. 2. v. 40. 52. vbi Christus πληρης σοφίας dicitur, hinc σοφία ipsi competit & quidem admodum insignis, comparatis iam v. 45. dictis, id quod etiam ex Marc. 6. v. 2. patet.

Vt statim remoueamus obiectiunculam ex hoc loco Luc. 2. v. 52. petitam necesse est. Dices: Christus περιεπιτε σοφία & eadem via, qua nos quidem ad solidiorem deuenimus cognitionem, ad eandem quoque deuenit, ita vt cum annis demum plenarium facultatum usum reciperet. Sed si Adamum similiter imagine diuina olim instructum consideramus, statim apparet, eum hac plane via non usum fuisse. At recte dicis & libenter consentio, tamen Adamum inter & Christum hinc comparationem institui posse nego. Etenim Adamus non sane vt hominum reliqui, vt etiam Christus homo genitus est, hic enim infans nascebatur & omnino crescente aetate tandem plenarium facultatum usum recipiebat. Sed Deus Adamum statim integrum hominem respectu animae & corporis producebat, vt plenari facultatum suarum usus statim fuerit particeps. Licet vero Christus infans ex matre natus fuerit, citius tamen, quam nos nunc, facultatibus suis vtebatur, & longe minori inuestigatione obiecta perspiciebat; quod his locis sane efficitur. In genere vero, cur Christo homini illud περιεπιτε σοφία non competere possit, haud video, dum imago diuina eo crescere in cognitione & quaedam semper adhuc ignorare, non destruit, ita vt etiam Adamo, si in integritatis statu mansisset, non denandi fuerint illi limites (per Dogmat.). Ex his etiam patet, quod nec quisquam mihi obiecare possit, illam intellectus Christi perfectionem ex vnione personali hic redundare; tunc enim illud ipsum περιεπιτεν ipsi iam refragaretur. Sed plura de hoc infra habebis.

§. 47.

Ad alterum momentum, quod imaginem diuinam in voluntate Christi constituit, descendimus, id quod in voluntatis Christi laucti

sanctitate & iustitia ponendum est: etenim Deus propter summam suam perfectionem voluntate optima praeditus est (per theol. natur.) hinc voluntate sanctissima & iustissima (per eand.) itaque si voluntati Christi hominis cum eadem Dei optima convenire debet similitudo, illa in eiusdem sanctitate & iustitia ponenda erit. Quorum vero pertinet, ut Christus *αναμαρτησιαν* hypothetice talem habuerit, adeo ut inclinationes Christi semper ad optima quaevis directae fuerint, ut porro divinis praeceptis liberam & plenariam praefiterit obedientiam.

Impeccabilitas seu *αναμαρτησις* in genere nobis dicitur peccatorum absentia, quae quidem pro diversitate subiectorum, de quibus praedicatur in varias dividi potest species. Dari enim potest vel necessaria vel contingens, & prior vel absolute vel hypothetice talis esse potest; posterior autem vel naturalis vel supernaturalis; naturalem nominamus, quae enti finito intellectu & voluntate praedito a Deo concreta & ex natura entis cui in est, explicari atque simul salva entis essentia abesse potest; supernaturalem autem in casu opposito. Impeccabilitas absolute necessaria, Deo competit; hinc & divinae Christi naturae, & quia humana Christi natura cum divina aeternissimo unionis personalis vinculo connexa fuit (per Dogmat.) *αναμαρτησις* hypothetice necessaria & ipsi competit. Sed de hac nobis nunc nulla est disputatio, ut potius *αναμαρτησις* contingentem eamque naturalem Christo vindicare mens sit, quia nobis nullus ad unionem personalem iam habetur respectus (§. 1. Schol.). Praeaudata dissertatio Baumgarteniana de *αναμαρτησις* Christi eiusdemque necessitate de his & statim subsequenter, pluribus videri meretur.

## §. 48.

Vt, quae antea diximus (§. 47), fundamento sacrae Scripturae superstruamus, perpendamus 1) quod Christus homo a Spiritu sancto attribuitive, miraculoso modo productus sit (§. 28.) adeo ut in peccati originalis communionem nullam venerit, sed potius *αναμαρτησις* contingens naturalis ipsi a Deo concreta sit (§. 39.). Conferamus 2) loca sat clare fidem huius sententiae facientia, quae vel voluntatis ipsius sanctitatem ad officium mediatorum ab ipso peragendum, necessario requirunt, ut Hebr. 7 v 26; vel Christum omnis peccati suspicione absolunt, ut Hebr. 4 v. 15. 1 Petr. 2. v. 22. seq. vel cum peccatum ignotasse

restantur 2 Corinth. 5. v. 22. vel, quod Christus semper voluerit feceritque voluntati diuinae conuenientia, asseuerant Ioh. 4. v. 34. Cap. 6. v. 38, adeo vt voluntatem diuinam praecepti instar secutus sit Ioh. 15. v. 10. Matth. 26. v. 39. vel vbi ipse ad mortem vsque patri suo obediens pronuntiatur Philip. 2. v. 8. vel denique vbi ipse Christus inimicos suos ad vitae gestae rationem attentissimos, vt ipsum *πρωι αμαρτιαις* conuincerent, prouocat. Ioh. 8. v. 46.

Sanctitas moraliter sumta est constans & perpetua voluntas non facienda nisi quod rectum; & iustitia bonitas, secundum legem sapientiae administrata, vt *LEIBNITIVS* eam definiit, quae hinc voluntati Christi tribuendae sunt (§. 48.). Etiam si multis aliis locis facile superfedere possim, iis tamen in Sp̄ho allatis pauca subtingere placuit, quia etiam hoc dogma adhuc multos habet aduersarios. Vt taceam veterum Prophetarum de Christo vaticinia, quae omnem dolum & *Pseudos*; ab ipso remouent Iel. 53. v. 9. &c. partim ex insigni virtutum de Christo in nouo foedere praedicatarum multitudine e. gr. pietatis Ioh. 8. v. 49. patientiae 1 Petr. 2. v. 23. seq. &c. partim ex tota vitae a Christo gestae ratione, quam, si examinamus accurate inueniemus sanctissimam, thes. haec euadit illustrior; adeo vt Christus per totam suam vitam exemplum omnium virtutum perfectum nobis praeiuerit. Phil. 2. v. 5.

§. 49.

Tertium imaginis diuinae momentum in Christi anima, quod adhuc restat, ad facultates animae Christi inferiores pertinet (§. 36.) earundemque integerrimam constitutionem sub superiorum dominio, constituit. Iam supra (§. 35.) ex praemisso axiomate: Deo non nisi facultates superiores competere &c. ostensum est, quo respectu imago diuina ad facultates animae Christi inferiores pertineat. Quod autem integerrima earundem constitutio eandem effecerit, id facile comprehendi potest, siquidem si pravae fuissent indolis, adeo, vt dominium superiorum reculassent: imago diuina in iisdem consistere nequisset. Itaque magnum imaginis diuinae momentum integerrima constitutio harum Christi facultatum efficit.

§. 50.

Talis, vt diximus (§. 49.) facultatum animae Christi inferiorum

E

rum

rum constitutio etiam facile euinci poterit, siquidem, ut iam monui, 1) impossibilitatem prauae earundem constitutionis ex antecedentibus possumus deducere. Quodsi facultatis animae Christi inferioris cognoscitivae prauam constitutionem velles defendere, scientiam intellectus Christi sane tollerēs; etenim tunc repulissent intellectus dominium, eiusque scientiam admodum obsecrassent; ita quoque se res habet cum appetitiua; Sanctitas Christi nulla est, si vnquam appetitibus sensitiuis suis fraenum remisisset. 2) Sae scitum exemplum huius rei Matth. 20. v. 39. occurrit. Christus, qui certissime mortem suam truculentam cruciatusque cum eadem coniunctos praeuidebat, hinc magnum sentiebat dolorem, ut tremebundus huius calicis transitum sub conditione possibilitatis a patre suo efflagaret; at superauit, quanti cunque istiusmodi dolores fuerint, quos praesentiebat; auersionem hanc sensualem voluntatis sanctitate, obedientiaque erga diuina praecepta; non ut ego, inquit, ob sensualem auersionem quidem vellem, sed ut tibi de me statutum est, fiat. Interim 3) nullum verum exemplum adduci poterit, vbi inferiores Christi facultates superiorum non obtemperassent dictamini.

Ergo sensialis appetitus in anima Christi rationalem & sanctam eius voluntatem nunquam oppugnare poterit, itaque nec pugna facultatum inferiorum cum superioribus in anima Christi vnquam locum habuit.

§. 51.

Hactenus circa imaginem diuinam in humana Christi natura primariam versati sumus, quam nunc extra omnem dubitationis aleam positam esse censeo. Iam ad secundariam, quae ad corpus Christi spectat, descendendum erit. In censum hic ante omnia venit corporis Christi immortalitas, quam ut stabilire possim, pauca praemittenda erunt. Vita entis cuiusdam in continua eiusdem actiuitate consistit, hinc corpus entis cuiusdam viuit, quamdiu actiuitatem suam retinet, at moritur, quando eadem cessat. Id quod mori potest, mortale dicitur, hinc corpus Christi mortale fuit, si actiuitatem suam aliquando perdere potuit: at immortalis in casu opposito. Ex his quidam immortalitatem in genere nominemus diiudicari potest, scilicet impossibilitatem moriendi.

§. 52.

§. 52.

Immortalitas in genere in impossibilitate moriendi consistit (§ 51.) quae vel per se s. intrinsecus in entre quodam locum obtinere potest, vel in nexu tantum s. extrinsecus; ea *absoluta* haec *hypothetica* audit. Accipi tamen etiam solet vox paulo latius, ut possibilitatem non moriendi denotet. Prior immortalitatis species puta absoluta soli Deo competit i Tim. 6. v. 16. Quae minime hinc in corpus Christi cadere potest, quod & res ipsa loquitur; aliter etenim nunquam mori potuisset, cuius tamen existat contrarium. Altera eaque hypothetica corpori Christi omnino competit, quatenus nimirum cum filio Dei arctissimo vinculo unitum est, sed de hac non disputamus. Itaque si corpori Christi immortalitatem tribuimus, vocem paulo latius sumimus & nihil nisi possibilitatem non moriendi ipsi vindicamus.

Inuoluit haec immortalitas nullam quidem a morte immunitatem, ideoque ex hoc fundamento, quia Christus reuera mortuus est, non oppugnari poterit corporis ipsius immortalitas; sponte enim mortem subiit, adeo ut ad ipsam non cogereetur.

§. 53.

Probationem immortalitatis corporis Christi ex vario fundamento possumus instituere. 1) Ex fine cui Christus destinatus erat; cruenta peccatorum hominum expiatione (§. 1.) Vicaria illa satisfactio, quam hominum loco Deo praestare debebat Saluator venerandus, hominibus quoque imputari debebat; itaque non solum opus erat, ut pro hominum reatu poenas i. e. mortem sustineret, sed & ita, ut illis quoque imputari posset (per Dogmat.). Imputatio vero est iudicium aliquid vel esse liberam actionem vel consecrarium morale liberae actionis huius nec alius auctoris; hinc si mors Christi hominibus imputari debebat libera actio Christi seu consecrarium morale liberae actionis esse debuit, ergo immortalitate seu possibilitate non moriendi corpus Christi praeditum esse oportuit. 2) Ex absentia causae mortalitatis Christi corporis, tam intrinsecae quam extrinsecae: etenim neque villa de anima Christi colligi potest ratio, cur corpus Christi relinquere debuerit, neque de ipso corpore, in quo nulli motus

inordinati vnquam exstiterunt, ex quibus dissolutio commercii animam Christi inter atque corpus suum pendere potuerit; sed anima cum corpore in omnibus eius motibus consensit, vt itaque corpus Christi actiuitatem suam semper retinere potuerit; ergo ad modificationem in corpore Christi semper fuit ratio sufficiens, hinc non mori ipsi possibile erat. 3) Ex ipsa mortis conditione, quam poenam peccatorum esse nouimus. Etenim constat, quod per legis diuinæ transgressionem hoc malum sibi concillauerint homines, vt adeo originale immortalitatem perdiderint, vnde mors Rom. 6. v. 23. *τα οφθαλμα της αμαρτίας* dicitur. Iam Christus sanctam habuit voluntatem; & ab omni peccatorum genere remotus fuit (§. 48.) hinc nec causatum peccati Christum ferire potest.

## §. 54.

His 4) oracula quaedam sacra subiungi possunt. Quamuis equidem nulla exstent disertis verbis de corpore Christi immortalitatem praedicantia, ex bene multis tamen per legitimam consequentiam ea deduci poterit. Vt modo ex N. Test. vnum alterumque laudem, praecipuis huc spectant Ioh. 10. v. 17. seq. vbi Christus se ad vitam suam deponendam non cogi posse dicit, sed *απ' εμαυτου*, inquit i. e. sponte, libere vitam meam amitto &c. Interim si etiam concedere vellem quod ad immortalitatem corporis sui hypotheticam hic Christus respiciat, quoniam his terminis summum suum dominium in vitam suam describere videretur, latius sumta immortalitas tamen excludi non debet; quia Christus hic se mediatorum & redemptorem suorum describit, pro quibus mortem subire affirmat. Sed vt iam (§. 53.) diximus, nobis haec mors minime imputari potuisset; nisi fuisset res Christi libera. Spectat huc porro Philip. 2. v. 8. Matth. 27. v. 50. Marc. 15. v. 37-39. ex quibus similiter commode deduci potest.

Non possum hic quaestionem illam satis vexatam plane praeterire: Vtrum morbis Christus laborauerit, an minus. Non examinabo argumenta eorum, qui affirmatiuam sententiam eligunt; sed modo dicam, quod illi, qui negandam quaestionem habent, mihi quidem rectius statuisse videantur. De iis morbis, qui vel vt poenae naturales vel vt arbitra-

arbitrariae, peccata hominum sequi solent, per se iam constat: quod  
is Christus laborare nequierit; quia Christus ex peccatorum hominum  
numero sane exemptus est (§. 48.). De ceteris vero, qui homini vel si-  
ne peccato etiam inesse possunt, dubitari sane potest, an illos in se ipse,  
vitro receperit; licet  $\tau\omega$  posse concedendum sit; certe officium Saluatoris  
mediatorum eos nullo modo desiderabat; atque in S. S. legitur  
nuspian: aliquid, quod contrariae fauere possit sententiae. Etiam si de-  
nique aduersariis concedatur: apud Christum tamen esset spontaneum  
quid, cum ea corporis sui fuerit constitutio, vt ob commercium cum  
sancta sua anima integrum nulli inordinati motus in ipso potuerint  
accidere, (§. 53.) ex quibus morbus potuisset euadere. Sed de his &  
proxime antecedentibus alia BAVMGARTENI de rebus theologicis  
optime omnium consensu meriti, sed proli dolor! iam emeriti dispu-  
tatio conferenda est: de immortalitate Christi & Christianorum  
Sect. I.

§. 55.

Restat adhuc aliud imaginis diuinae in Christo secundariae  
momentum, quod spectat ad relationem Christi ad cetera ani-  
mantium genera. De protoplastis in sacra scriptura relatum legi-  
mus, quod Deus, dum in statu innocentiae ipsos creabat, eos Do-  
minos super cetera animantium genera constituerit, quod etiam  
recte ad imaginem diuinam in ipsis refertur, quia hoc dominium  
summum Dei in omnes res dominium bene repraesentat; sed ad  
partes imaginis diuinae remotas referri solet, licet SOCINIANI in  
hoc capite omnem omnino diuinam protoplastorum imaginem per  
lapsum perditam ponendam falso duxerint. Quaeritur hinc an pa-  
ri modo Christus homo hanc praestantiam s. imaginis diuinae mo-  
mentum secundarium habuerit, nec ne? Equidem priori senten-  
tiae s. affirmatiuae omnino accedo, & hoc ex nonnullis exemplis  
in N. Test. obuiis talis Christi domini, colligi posse statuo. Ita  
Marc. I. v. 13. de ipso legitur, quod in deserto bestiis ferisque  
fuerit expositus, quae nihilominus tamen nil ipsi nocuerunt;  
quorsum etiam referri solet ab aliis, quod ipsis Apostolis suis po-  
testatem bestiis venenatis imperandi concesserit, ita vt nihil noxii  
ipsis inde timendum sit Marc. 16. v. 18. & collaudatio hominis  
 $\tau\alpha\ \kappa\alpha\tau'\ \epsilon\gamma\chi\eta\eta$ , quae continet vaticinium de Christo homine Pl.  
g. v. 7. seq.

De exemplis talis Christi domini bene tenendum est, quod ex statu exinanitionis Christi petita sint, ubi a plenario perfectionum diuinorum usu abstinere Christus; quare ad eundem hic prouocare iam non licet. De adducto loco posteriori in b. DAUMGARTENII *erbauliche Auslegung der Psalmen* P. I. pluribus agitur.

## §. 56.

Illud quod aliquis a prima sua creatione & ortu statim possidet, ipsi naturale dicitur, licet nec ad naturam ipsius constituendam faciat neque ex eadem necessario consequatur. At cum ea omnia, quae imaginem diuinam in humana Christi natura effecerunt, Christo statim a primo ortu inuisse constet, iure imaginem Christi hominis diuinam *naturalem* dicimus.

## §. 57.

Postquam hucusque imaginem diuinam in natura Christi humana tam in genere quam partes eiusdem in specie probauimus & ipsi hanc imaginem naturalem fuisse effecimus (§. 56.) supernaturalium ad eandem accessionum quarundam mentionem nunc iniicere statuimus, quae eo magis adhuc felicitatem Christi promouere potuerunt, & quae naturalis Christi conditionis fuerunt conlectaria. Quorum primo gratissima Christi conscientia diuini fauoris pertinuit: etenim cum tota Christi conditio perfecta omnino fuerit, & Deus teste scriptura nullo nisi bono & perfecto delectari ipsique tantum fauere possit: eiusmodi diuinus fauor & inclinatio Christo homini nec deesse potuit, nec eam Deus ipsi occultare propter summum suum amorem debuit. Deinde peculiaris Dei Christum aduocantis operatio hanc perfectionem naturalem sine dubio excepit, quae analogice sic concludi potest: si Deus hominibus, qui imaginem diuinam in se renouari patiuntur, peculiare suas operationes impertit (per Dogmat.) quanto magis Christo homini, qui imaginem diuinam in natura sua humana integerrimam gessit.

## §. 58.

Porro hanc imaginem diuinam Christi naturalem praesentissimi Dei insecuta est consuetudo cum Christo. Licet enim Deus omnibus hominibus praesens sit, eos tamen familiariori quasi praesen-



praesentia & gubernatione dignatur, qui vita sancta fauorem eius sibi conciliant (per Dogmar.) id quod simili modo de Christo dicere licet. Denique ob eandem rationem Christus etiam angelorum, ubi opus & usus fuit, consuetudinem expertus est, qui quidem circa eos castra quasi sua metantur iisque ferunt auxilium, qui Deum reuerentur Pl. 34. v. 8; quod etiam ex tota Christi historia videre est, dum in ipso eius in hunc mundum introitu Luc. 2. v. 9. 10. in periculo ingenti, Matth. 4. v. 11. passionibusque vehementissimis Luc. 22. v. 43. & denique in exitu ex hoc mundo Act. 1. v. 10. 11. circa ipsum *eis diaconorum* eius occupabantur angeli.

§. 59.

Coronidem scriptioni meae facile nunc imponere possem, siquidem adhuc therice ea omnia proposui, quae imaginem diuinam in natura Christi humana constituerunt & insecuta sunt. Sed ut magis adhuc dictorum constet veritas dogma propositum a posterioribus aduersariorum exceptionibus & erroribus purgare statui. Duplex autem a nobis dissentientium classis potissimum fieri potest; altera, quae dogma illud plane negat suisque argumentis omnino subuertendum aestimat, in quibus refellendis admodum breuis ero, ita ut modo vnum alterumue subuertam, quod meae sententiae opponi potest; altera, quae quidem minus negandum dogma existimat, ut potius ex altera parte aliquo modo excedat, & abusu huius doctrinae eo derrudatur, ut multa imaginaria magis quam solida in doctrinam de humanae naturae in Salvatore nostro praesentia attrahat, quorum paulo post examinato breuiter sententiam.

§. 60.

In iis, quae sententiae in hac scriptione defensionae opponi possunt, refutandis argumentum aliquod ex vnione personali diuinae Christi naturae cum humana desumtum, subuertendum est, quod sic sonat: Si humanae Christi naturae per vnionem hypostaticam cum diuina perfectiones & idiomatica huius naturae communicata sunt, non statim sequitur, quod haec, quas laudauimus, singula

gulares perfectiones humanae ipsius naturae in se concreatae sint e. gr. intellectus scientia & sapientia, ut potius per talem unionem easdem recipere potuerit, itaque perperam rem meam egisse videbor, eo quod humanae Christi naturae imaginem diuinam vindicauerim. Sed ut antecedens nullus quidem nego, ita consequentiam potius inde deductam pernegandam esse existimo. In genere autem 1) respondendum est  $\alpha$ ) etsi totum concederem argumentum, res mea tamen stare potest; etenim possunt humanae Christi naturae per hanc unionem idiomatica diuinae naturae filii communicata esse. & nihilominus tamen ipsa magnas concreatas seu naturales perfectiones in se habere potuit; quod hoc argumento saltem non subuertitur, porro  $\beta$ ) ex argumentis, quae praemisimus, satis, ut puto, necessitas & existentia imaginis diuinae in humana Christi natura stabilita est; hoc itaque prius aduersariis subuertendum foret, si contra me hoc argumento aliquid efficere tentabunt.

## §. 61.

Ut 2) in specie respondeam semper  $\alpha$ ) bene distinximus inter ea, quae humanae Christi naturae per unionem hypostaticam communicata sunt, & inter ea, quae ipsi fuerunt per se naturalia e. g. dum *αναμαρτυρια* Christi hominis defendebam, inter inhaesiuam & communicatiuam distinximus, prioremque sane effeci.  $\beta$ ) Deinde nunquam a me quidem proditum est nec ab aduersariis tradi poterit, quod hae perfectiones naturales, quae diuinam in Christo imaginem constituerunt, plane infinitae fuerint; sed sunt modo singulares. Iam vero ea idiomatica, quae humana Christi natura ex unionem personali illabentia usurpat, plane infinita habenda sunt, eidemque praeter illa finita attributa sunt, quatenus ad officium mediatorium Christo homini erant necessaria.  $\gamma$ ) Non obliuiscendum est, quod ea loca quae ad probandam sententiam ex N. Test. desumimus, ex eo Christi tempore desumpta sint, ubi in statu exinanitionis uiuebat & perpetuo saltem usu diuinarum perfectionum sese abdicauerat, nihilominus autem tantas excellentes naturales semper dabat conspicuas; ut itaque hoc argumento falsissime utantur, qui isto propositam doctrinam enervare

tentant,

tentant, sed potius his dictis rite ponderatis optime inter se stabit mea sententia.

Aliis forte argumentis adhuc impugnari posset mea sententia, quae breuitatis causa taceo, praesertim quia, quod quidem sciam non existierunt, qui publice hoc dogma impugnassent; quod nec adeo mirum, quoniam ut iam monti (§. 32. Schol.) a paucis rite discussum & sigillatim defensum est. Interim habemus sanctae voluntatis Christi aduersarios praecipue *Arminianos*, qui hinc saltem in voluntate Christi hanc imaginem diuinam negare debent, licet per consequens etiam totam; Sed quoniam iam satis a pluribus Theologorum eorum argumenta explorata sunt, superfluum ex parte videtur, his porro insistere. Ita quoque ea loca, ex historia Christi, quibus Naturalistarum varii abutuntur ad commonstrandam peccabilitatem Christi, dudum contra eosdem vindicata sunt, ideoque has vindicias repetere nolui. Hinc nihil iam restat, nisi ut Fanaticorum praecipuis errores circa hanc doctrinam examinentur & subuertantur.

§. 62.

Promissi mei (§. 59.) memor errores quosdam alios sub examina vocabo, qui thesibus quibusdam disputationis meae reputant. Alter est celebratissimi illius *PETRI. POTRETI* caelestem quandam Christi humanitatem, post alios, docentis & incarnationem Christi hominis iam in Paradiso ante Adami lapsum factam esse stauentis; ita enim in *Oeconom. diuina* lib. 2. cap. 11. docet: filium Dei, ut eo melius cum Adamo conuersaretur, atque ipso a peccato praeseruare posset, humanam induisse naturam ab ipso Adamo, qui principium foecunditatis in semet ipso habuerit, unde sui similes prodissent alii, corpore assumpto; idem fere etiam libr. 3. cap. 16. imaginatur, cuius a partibus stat *Antoinette Bourignon*, in libello, qui inscribitur: *Lapis Lydius*. Potiora, quibus hoc figmentum probare annitur, argumenta, desumpta sunt partim ex apparitionibus Christi sub veteri Testamento; quae tamen humanam Christi naturam iam tunc ipsam existisse, non inuoluunt; etenim apparuit Christus Deus paraclitico, ut aiunt, corpore usus: partim ex denominatione alterius Adami, qua Christus insignitur, cuius tamen longe alia est ratio (§. 43.) partim ex figmento corporis caelestis, quod Christum in uterum Mariae transfuisse putat; id quod alius sacrae scripturae locis sacris contradicit *Hebr. 2. v. 14. Galat. 4 v. 4.*

F

§. 63.

## §. 63.

Altera sententia eiusdem fere est indolis, praecipueque defensorum habuit *Ioh. Wilb. PETERSENIUM* in libello sub titulo: *αμαρτησια*, in quo non solum caelestem Christi humanitatem defendit, sed etiam addit pag. 101. Adamum non ad imaginem summi Dei, sed ad imaginem praecessistentis Christi, seu ut verbis utar, quae ipsi sunt propria, *des Mittel Entis und vorweltlichen Gott-Menschen*, creatum esse. Hanc ut stabiliet sententiam, ad ea sacrae scripturae loca prouocat, quae de persona *λογου* & meriti Christi efficacia agunt, antequam in hac terra comparuisset: quae loca tamen, ut quisque, me non momento facile perspicit, id nullo modo comprobant.

Non diutius lectorem talibus & hisce similibus somniis detinebo, quippe quae omni prorsus fundamento destituta sunt. De errore *PETERSENI* pluribus legi potest: *Die fortgesetzte Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen &c. auf das Jahr 1724. in dem 9ten Stück des ersten Beitrags.*

## §. 64.

Ne forte inutilior videatur atque inanis speculatio haec imaginis diuinæ in humana Christi natura disquisitio, antequam vltimas manus scriptioni meae adiucio, de usu dogmatis huius pauca commentari, non plane abs re mea visum est. Quem vero in theoreticum & practicum distinguere licebit: prior triplex potissimum esse potest 1) provincia mediatoria seu satisfactio Christi vicaria, cuius gratia venerandus Saluator in hac terra apparuit, ab ipso non solum, ut pateretur, quae hominibus peccatoribus patienda erant, postulabat, sed etiam ut agendo seu obedientia aeterna diuinam legem hominum loco perfectissime impleret (§. I.). Ast quilibet facile perspicit, talem obedientiam aeternam nunquam a Christo praestari potuisse, nisi anima Christi, voluntate ad bonum & perfectissimum quoduis propensissima, fuisset instructa, id quod imaginem diuinam in Christo homine supponit, ita ut negata in ipso diuina imagine, obedientia aeterna a Christo praestita, simul negari, debeat; saltem recte & distincte explicari nequeat. Cum illud vero necessario ad satisfactionem Christi pertinuerit (p. Dogm.) statim videre est, negata diuina imagine in Christo homine & simul salutis

salutis nostrae fundamentum, satisfactionem Christi, corrue-  
2) Posita imagine diuina in Christo homine necessario etiam in eo-  
dem *αναμαρτησια* ponenda est (§. 47.) sed necessarium summi  
nostri pontificis erat requisitum, vt ipse a peccatoribus, licet ipse  
homo, quam maxime segregatus esset Hebr. 7. v. 26.; vnde denuo  
pater, negata in Christi natura humana diuina imagine, necessarium  
Christo mediatori defuisse requisitum; sine quo nec redemptionis  
opus ab ipso vnquam praestari potuisset. 3) Si demum extra om-  
ninem dubitationis aleam illa momenta sunt posita, quae imaginem  
diuinam in humana Christi natura essecerunt, sique sacra scriptura  
nos edocet, quod protoplasti nostri olim a Deo ad sui ipsius simili-  
tudinem creati sint Genes. i. v. 26. tuto in assignandis partibus  
constitutiuis imaginis diuinæ protoplastorum, ad hoc dogma pro-  
uocare licebit, & e. gr. protoplastis *αναμαρτησιαν* inhaesue au-  
cturam attribueri; quia eadem Christus homo instructus fuit.

Sed nec deest vsus *practicus*, & vt dici potest *paraeneticus*. Vt modo  
duplicis mentionem iniiciam 1) etiam nos ad eam, quam per lapsum perdidimus,  
diuinam imaginem qua partem primariam instaurandi sumus per sanctifica-  
tionem & renouationem Ephes. 5. v. 23. 24. Colossi. 3. v. 10. & ipse Christus  
primariam imaginis diuinæ partem possederit, optimo ipse nobis vitae &  
mentis informandae exemplo erit, quod in instauratione & renouatione imi-  
tari debemus, vt studiosissime eidem harmoniae cum consilio diuino vnuerfo  
operam demus. Speciatim, quoque admonet nos scientia & sapientia intel-  
lectus Christi, vt eo magis ad eandem peruenire & nos nostris in rebus factis-  
que studeamus, itaque & intellectui nostro rite adhibendo omnem demus  
operam, id quod cunctis iis, qui a persequendis vtilium rerum studiis nomen  
habent, sat graue esse debet motiuum; partim voluntatis Christi sanctitas, vt  
ad cognita bona quaeris semper rite adpiremus, mala & peccata e contrario  
fastidiamus singula & omnia. 2) Imago diuina in natura Christi humana si-  
ne dubio magnam eius efficit praestantiam, hinc & illud ipsum tractatum do-  
gma nos edocet de Christi praestantia, & eo magis ad venerationem amorem-  
que eius nos excitare debet, vt vnuerfa vitae nostrae ratio non infucata ad a-  
lios prae se ferat documenta, liberalis & ingenui in Iesum Christum studii.  
Cui iam & ego summas maximasque habeo gratias, quod mihi facultates ad  
hoc conficiendum academicae Seriptionis rudimentum ditissimo partas suo me-  
rito concesserit benignissime. Faxit Deus T. O. M., vt omnia, quae vnquam  
a me peragi poterunt, in veram & summam venerandi sui no-  
minis a me peragantur gloriam!

T A N T V M.

F 2

SYNO.

## SYNOPSIS DISSERTATIONIS.

- I. *Sectio I.* de humana Christi natura in genere, vbi
- α. Christum Dei filium humanam naturam assumere debuisse ex fine demonstratur §. 1.
  - β. de ipsa natura Christi humana agitur
    - a. de anima Christi
      - 1. de existētia eiusdem, vbi  
 γ. lemmata quaedam metaphysica praemittuntur §. 2.
      - 2. de existētia animae Christi hinc deducitur & stabilitur §. 3.
    - 2. de facultatibus eiusdem, vbi  
 γ. de facultate cogitandi §. 4.
    - δ. de facultate cognoscitiua tam inferiori, quam superiori, vbi  
 αα. quid facultas cognoscitiua in genere sit ostenditur §. 5.
  - ββ. in specie agitur
    - aa. de facultate cognoscitiua inferiori, seu facultatibus, eam constituentibus
      - 1. de sensu §. 6.
      - 2. de phantasia §. 7.
      - 3. de facultate fingendi §. 8.
      - 4. de memoria §. 9.
      - 5. de facultate attendendi, reflectendi & abstrahendi §. 10.
      - 6. de ingenio §. 11. ex quibus demum animam Christi facultate cognoscitiua inferiori fuisse instructam concluditur §. 12.
    - bb. de superiori
      - 1. de intellectu §. 13. & operationibus intellectualibus §. 14. 15.
      - 2. de ratione §. 16. hinc animam Christi facultate cognoscitiua superiori poluisse, inferitur §. 17.
  - γ. de facultate appetitiua tam inferiori, quam superiori, quae  
 αα. in genere explicatur §. 18.
- ββ. in specie agitur
  - aa. de inferiori, vbi
    - 1. de appetitibus & auersationibus sensitiuis §. 19.
    - 2. de affectibus sensitiuis §. 20.
  - bb. de superiori, vbi
    - 1. de appetitibus & auersationibus rationalibus §. 21.
    - 2. de libertate §. 22. hinc animam Christi facultatem appetitiuam inferiorem & superiorem habuisse colligitur §. 23.
3. de aliis eiusdem determinationibus, vbi animam Christi  
 γ. ens simplex & quidem spiritus §. 24.

□. ens

5. ens finitum §. 25.  
 3. ens animabus nostris specie *ομοιωσις* fuisse ostenditur §. 26. 27.  
 b. de corpore Christi & quidem  
 1. de eiusdem existentia §. 28.  
 2. de eiusdem origine §. 29.  
 c. de commercio inter animam Christi atque corpus §. 30. unde denique vera Christi humanae naturae existentia demonstratur §. 31.
- II.  *Sectio II. de Imagine diuina in eadem, vbi*  
 α. quaedam praemittuntur  
 a. imago diuina in natura Christi humana definitur §. 32.  
 b. propius explicatur & ab ea, quam diuinae Christi naturae tribuunt sacrae literae, distinguitur §. 33.  
 c. animam Christi subiectum quo eiusdem esse demonstratur §. 34. & quidem proprie & primario eiusdem facultates superiores §. 35.  
 d. imago diuina in anima Christi quatuorplex fit, determinatur §. 36.  
 β. ordine eius, quae sequitur, tractionis indicato §. 37. imago diuina in natura Christi humana demonstratur  
 a. in genere  
 1. ex necessitate eiusdem §. 38.  
 2. ex alio fundamento, quod neque Deus Christum sine eadem producere poterit §. 39. 40. & quod neque Christus ipse eandem postea perdidit §. 41. 42.  
 3. ex aliis Christi denominationibus §. 43.  
 b. in specie  
 1. imago diuina in anima Christi euincitur, & quidem  
 N. intellectus scientia & sapientia §. 44—46.  
 voluntatis sanctitas & iustitia §. 47. 48.  
 3. integerrima facultatum inferiorum constitutio §. 49. 50.  
 2. eadem in corpore Christi demonstratur, & quidem  
 N. eiusdem immortalitas §. 51—54.  
 N. dominium super cetera animantia §. 55.  
 γ. his duplex momentum annectitur  
 a. quod imago diuina humanae Christi naturae naturalis fuerit demonstratur §. 56.  
 b. quod eandem accessiones aliae inscuae sint ostenditur §. 57. 58.  
 δ. propositum dogma defenditur  
 a. aduersarii indicantur §. 59.  
 b. dubia eorundem subuertuntur  
 1. eorum, qui dogma illud negandum existimant §. 60. 61.  
 2. qui alios errores circa hanc doctrinam fouent §. 62. 63.  
 ε. vsus dogmatis huius recensetur §. 64.



DISSERTATIONIS HVIVS  
ORNATISSIMO AVCTORI

S. P. D.

IOANN. SALOMO SEMLER.

**L**ubenter fateor, solidum me hoc vnum gaudere gaudium, quod ex academicorum iuuenum laudabili diligentia & vitae, ad ingenium consilium compositae, integritate percipere licet. Itaque nec his disputandi exercitiis, quae peractae vitae academicae iusta documenta produunt, deesse vnquam solleo: licet subinde sentiam, quantum isto negotio ad plura alia, quibus nostra exercetur prouincia, aut oneris accedat aut laboris. Hoc autem nomine eo TIBI magis obstrictus sum, quod talem dissertationem mihi tradebas, quam sine multa in emendando malignitate reddere TIBI poteram. Nempe ita ipsi consilio, quod has exercitationes iubebat, recte satisfactum esse statui potest, si factis integra & propria ea laus auctoribus ipsis manet; quorum aliter non pauci nomen suum, quam ipsam aut operam aut facultatem, descriptionibus huius generis non raro impertuntur. Itaque opus non est verbolius commemorare & recensere studiorum TVORVM laudabilem rationem, qui & diligentiam ingeniam dedisti iis scholis, & philosophicis, logicis, metaphysicis & matheleos purae Celeberr. WEBER o duce; ethices, & iuris naturae, auctore Celeb. MEIERO, Magnifico academiae h. t. Prorectore, physices praecunte Celeb. EBERHARDO, & theologicis non solum dogmaticis & asceticis Vener. KNAPPI sed etiam meis in theologiam dogmaticam, polemicam, moralem, hermeneuticam, historiam Reformationis & cognitionem litterariam, & denique philologicis Vener. MICHAELIS tam hebraicis in Genesim & Exodum quam chaldaicis in Danielem, Vener. CALLEBERGII in Ieremiam cuius & lectiones historico-ecclesiasticas audiui, & Celeb. STEBRITZII in primam noui foederis partem, praetereaque scholis philologicis in vniuersum Nouum Testamentum, historico-ecclesiasticis & disputatoris Clariss. NOESSELI & denique Clariss. SCHULTZII in prophetas minores, eiusdemque exercitationibus disputatoriis, quibus bonarum litterarum, sanctarum maxime, disciplina quaedam informari poterat; & vitae



hic aetate eam secutus es rationem, ut sine macula, quam alii aut turpi  
 otio sibi contrahunt, aut flagitiis adeo tantum non perennaturam incurrant.  
 Maxime autem illud laetor, quod hoc argumentum eligebas, vtilissimum,  
 si quid iudico, & gravissimum. Quid autem ab academicis iuuenibus  
 cogitari ad ipsorum causam potest magis frugiferum, quam hoc ipsum,  
 in Iesu, Christo, homine inuisse imaginem diuinam? qui eius prae se fe-  
 rendi & exornandi luculentissimum cunctis exemplum praecuit. Cumque  
 longe gravissimus existerit Iesus ille verae in Deum religionis interpres &  
 praeceptor, ecquid facere ad futuram doctoris inter homines personam ma-  
 gis poterit, quam animo infixam habere huius solidi & minime fanatici  
 doctoris imaginem. Argumento ipsi constitueram quaedam quasi supple-  
 menti loco superaddere, atque ostendere verbosius, vtriusque ecclesiae tra-  
 ctatores de imagine diuina in Iesu Christo homine vix cogitasse; ipsos adeo  
 istos *συλασμεν*, & intelligendae ormandaeque doctrinae magis deditos,  
 vix vestigium & volam huius disciplinae ostendere, licet de imagine diuina,  
 an conveniat angelis, opificiisque Dei ratione destitutus, satis multa com-  
 mentati fuerint; quae pristinae doctrinae repetitio & eam rem-artigisset, quod  
 quidam diligenter monuerunt, filium Dei imaginem Patris esse, non trini-  
 tatis, cum hic, in TVA tractatione, Iesus homo imaginem trinitatis, gerat;  
 minime autem ea ratione moleste designandam, qua in nobis imago Dei,  
 post *Augustini* repertum, de trinitate animae, quae sit intellectus, voluntas,  
 memoria, aut, esse, vivere, sapere &c. inepta fere disputatione celebra-  
 tur. Idem de fanaticis commentis antiquiorum recentiorumque, plura do-  
 cumenta prodere volebam. Sed, ut maxime velim, ei rei iam operam dare  
 nequeo; nec ideo carebit TVA disputatio insigni vtilitate; quam & ipse fa-  
 cile augebis, si TVO iam exemplo luculenter id ad alios confirmes, quod hic  
 proposuisti; secutus Iesu Christi in docendis hominibus atque ad imaginem  
 Dei instaurandis instar, qui ex scripto verbo Dei, cuius ingenium & sensum  
 hominibus explicare ille solebat, & colligere diffusis & torpentis animi  
 nobiliores, quibus Deum & cognoscunt & referunt, dotes: minime ex se-  
 mer ipso, ex pastore suo, quamvis recto & agniti Dei pleno, promerere nouas  
 quasi & meliores Deo potiundi vias. Itaque hunc iam fructum ex academia  
 & refer & diligenter custodi, nec illum aut TIBI eripi aut aliis, quibus hac  
 una ratione prodesse recte poteris, sine, & patere. Iam vale, meique libera-  
 lem memoriam & ipse retine, & aliis, si potes, suade. Dah. Halae in Friderico  
 Regia d. XI. Febr. MDCCCLX.

Mon.



*Monseur,*

C'est l'amitié, qui m'oblige à VOUS faire voir les sentimens de mon coeur, le même jour, où VOUS ramalés tant de gloire. Permettez donc, que je m'intéresse à l'applaudissement de tous ceux, qui VOUS aiment, & qui sont touchés de VOTRE bonheur. Pourfuivés le cours heureux, dans lequel VOUS êtes entré. C'est la route, à la quelle vôtre erudition dans les lettres sacrées VOUS fait aujourd'hui voir les meilleurs fruits. Mais à fin que VOUS en cueilliés plusieurs encore; la vertu & le vrai bonheur VOUS accompagnent toujours dans ce voiage! Devenez digne exemple de tous ceux, qui s'appliquent aux sciences: & Dieu couronnera VOS entreprises! Soies la joie de VOTRE mère & de VOTRE patrie, qui attendent déjà, à bras ouverts le fils & l'ami accablé d'honneur. Daignez-moi, s'il VOUS plait, de l'amitié, dont VOUS m'avez honoré jusqu'ici: & celle, qui a été sincère toujours dans notre jeunesse, le soit aussi dans la suite jusqu'à la fin de nôtre vie. Pour moi, soies persuadé, qu'elle sera toute ma vie mon devoir le plus agréable. C'est pourquoi je serai sans cesse

*Monseur,*

à Halle  
ce 11me de Fevrier  
1760.

Vôtre très-humble serviteur  
& fidèle ami

**C. F. Niethe,**  
Etud. en Theol.



Fe 4194

ULB Halle 3  
002 623 889



SB

Retov








7  
8  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100

COMMENTATIO THEOLOGICA  
DE  
IMAGINE DIVINA IN HVMANA  
CHRISTI NATVRA



QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,  
IOANNE SALOMONE SEMLER  
S. S. THEOL DOCTORE ET PROFESSORE PVBL ORDINARIO  
IN HAC ALMA FRIDERICIANA CELEBERRIMO,  
SEMINARII REGII THEOLOGICI DIRECTORE  
MERITISSIMO,

FAVTORE ATQVE PRAECEPTORE  
AD CINERES VSQVE MAXIME VENERANDO

DIE FEBRVAR. MDCCLX.  
H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDENDAM PROPONET

AVCTOR  
CAROLVS CHRISTIANVS THIME

FIDDECHOVIO-POMERANVS, S. S. TH. C.



HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.